B. N. C.
FIRENZE
700
1

Google

700. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

PROGRAMMATUM
ſelectorum
DODECAS,
de vario argumento
In diverſis Academiis
publicè propoſitorum
à
JOACH. JUSTO BREITHAUPT,
S. Th. D. Profeſſ. & Seminar. Theol. Direct.
Conſil. Conſiſt. Duc. Magdeb.

1832

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Apud CHRIST. ANDR. ZEITLERUM, A. T.
MDCXCVII.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

publice proponit

[illegible]

S.S.D.Pro[illegible]

Conſil.Con[illegible] Theol.

[illegible]

PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DN. PAULO
à FUCHS,

Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario Statûs Intimo, Rerum Feudalium & Eccleſiaſticarum Directori, Conſiſtorii Supremi, quod Berolini eſt, Præſidi graviſſimo,

Domino Hæreditario in Malchow, Wolfshöven, &c.

DOMINO AC PATRONO
MEO OBSEQVENTER SUSPICIENDO,

ANNOS BEATISSIMOS!

Perilluſtris Domine!

QVando novus hic annus novam ſcenam expandit, mentio ſubit ex *Svetonio*, quòd Auguſtus Cæſar *ſupremo die amicos admiſſos percunctatus ſit, ecquid iis videretur mimum vitæ commodè transegiſſe?* Inclytus vir *Petrus Cunæus*, in piâ oratione ſuper obitu Bronckorſtii, addit: *nimirum ſummus ille princeps, qui ex ſe uno pendere omnia videbat, qui imperia gentibus dabat & adimebat, hæc ipſa, quæ tantopere mortales concupiſcunt, propter quæ bella ſuſcipiunt, & rempublicam turbant, quisquilias volantes & venti ſpolia judicat.* Quis verò infelicior AUGUSTO, qui feliciſſimus omnium habebatur? namque ita judicans, faſſus eſt, ſemet tot annis nihil egiſſe, niſi inanem hiſtrioniam, neque ſalutis fundamentum, quod ſub ipſius imperio naſcebatur, agnoſcere aut deſiderare. Quò magis cavendum homini

mini

mini Chriſtiano, nequid rerum exerceat, cujus fructus haud amplior ſit, quàm vana recordatio cum diebus finienda. Quemadmodum enim *Pſaltes* ait, ſuper Chriſto florere coronam ipſius nunquam marceſcentem; ſic ejus nomen qui dignè profitentur, nullas non actiones fugiunt, quas non plauſus cum gaudio & præmiis ſequatur æternus.

Hanc ego legem juventuti commendans, cenſendus meritò eſſem vaniſſimus, niſi eam ipſe dictis factisque exprimere conarer. Mox perſonæ eripientur, manebuntque res; quæ niſi in Chriſto radicatæ fuerint, damnũ afferent. At verò in omni vitæ hujus genere moleſtũ admodùm eſt, quòd optimis quibusque inſtitutis neſcio quomodo eveniat, ut detrimentum capiant ex conſuetudine, atq; ipsâ ſolennitatis opinione ſanctis ritibus detrahatur emolumenti quàm plurimum. Quæ quidem incommoda

ſtatus alius aliter experitur. Me Academici mores hujusmodi inſidiis tantopere circumveniunt, ut eruditioni deditos variis anteceptis judiciis vix liberare liceat. Exemplum offerunt *Programmata*, quæ publice affigi ſolent, ſed eo ſucceſſu, qui præter officii obſervati conſcientiam efficiat parum. Usque adeò humanis ſenſibus ſemper aliquid ſcenici obverſatur! cùm tamen oporteret cum pudore meminiſſe, ipſis actoribus mimicis in re nullâ elaborantibus, niſi laudis ſpe atque lucri propoſitâ, multò magis Chriſti nomen gerentes quòd deceat, nil quidquam in animum inducere vel intromittere, cujus non tam ſpecie capiantur, quàm vero uſu probentur coram Domino, mercedem gratiæ exſpectantes. Quocirca non perperam uſurpamus illud Tullii in Officiis: *Ergò hiſtrio hoc videbit in ſcenâ, quod non videbit ſapiens in vitâ?* Atque hic finis, hæc cauſa eſt, quæ me ad hæc Programmata

mata junctim edenda impulit, ſi, fortaſſean vel ita & abutendi & intercidendi periculum evadere, majorique ſervire utilitati poſſint.

Quòd autem illuſtriſſimo Nomini Tuo, DOMINE ac PATRONE! illa inſcribam, facit tum incomparabilis Tua & ſcientia literarum, & ad uſum aptandarum facultas, qua factum, ut ætatis noſtræ oratores Tibi facilè principatum cedant; tum Eccleſiarum Brandenburgicarum, quod ex juſſu clementiſſimo ſuſtines, patrocinium, cui ut officii mei & Conſiſtorialis & Profeſſorii curas commendem, jusq; & fas imperat. Jamque in eo cùm totus ſim, qui ineuntem hunc annum, non mihi, ſed Chriſto impendam; veneror Majeſtatem Divinam, ut Auguſtum Patrem patriæ, ut ſurgentem patriæ Spem, ut Miniſtros ſummos, Teque partem ipſorum magnam, ſoſpites, incolumes, potentesq; rebus omnibus præſtet, ut conſiliorum eos

lar-

largiatur fructus, quibus cœlorum terrarumque cives juſtisſimè ac ſine fine applaudant. Vive DEO, vale PRINCIPI, flore Bonis diutisſimè! Ex Almâ Fridericianâ d. II. Jan. a. M DC XCVII.

PERILLUSTRI TUÆ EXCELLENTIÆ

obſequentisſimus

JO. JUST. BREITHAUPT, D.

I. N. J.

PROGRAMMA I.

De

STUDII THEOLOGICI NECESSARIIS TRIBUS ADMINICULIS.

ORationem, *Meditationem* ac *Tentationem*, tria hæc eſſe, quæ idoneum faciant Theologum, Lutherus ſuâ ipſius experientiâ adductus seriò inculcat. Neque vero vel Oratio, vel Meditatio, vel Tentatio ſola id præſtiterit, quod trigæ illi Theologicæ, vinculo minime diſſolvendo connexæ, ſupra vires humanas poſitum defertur. Orationem absque Tentationis communione ſi concipias, idem feceris, ac ſi homini ſanitate integrâ gaudenti adſcribas ægrotorum ſuſpiria. Meditationem Verbi absq; digno precum ſtudio etſi exercent multi, quid tamen efficiunt, niſi quòd carmina, cœleſti inflanda Spiritu, ſterili meditantur avenâ? ſimiles illorum, qui turrim

extruentes confundebantur Gen. XI. quò etiam vates Ethnicus alludere videtur hiſce:

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atq; Oſſæ frondoſum involvere Olympum: Aſt
Ter Pater extructos disjecit fulmine montes.

Tentatio verò divinis implorationibus deſtituta, nihil certè aliud, quàm ſumma eſſet infelicitas; propterea quòd eadem, quæ tanquam mater prudentiæ veræ colitur, noverca fieret injuſtisſima, verbera infligens quidem, medicamina autem non admittens. Oratio enim & Tentatio ita arcte ex naturâ conjunctæ ſuâ ſunt, ut hæc absq; illâ mors ipſa exiſtat, illa verò absque hâc idolum quoddam & exanime vitæ ſimulacrum: *Alterius ſic Altera poſcit opem res, & conſpirat amicè.* Quæ quidem ſi dignè conjugium ſuum excolere permittuntur, etiam absque Meditatione, qualis eruditorum propria eſt, hominem ad rerum divinarum notitiam, ex Verbi ſimplicitate cum pace & gaudio Spiritûs Sancti oriundam, ita perducere aptæ natæ ſunt, ut rudes cætera nonnulli ὑπόστασιν Fidei ceu posſidentes calleant, doctioribus eam ſæpe neq; expertis,

pertis, neq; adeo intelligentibus: quanquam negari nequit, ſi Meditatio duabus iis, tanquam alis atque vehiculis utatur rectè, nec corruptæ rationis, ſed Fidei dominium & veſtigia ſequatur, eximium quiddam, atque ad miniſterium Sponſæ Chriſti præſtandum maximè accomodatum, hoc pacto exoriri. Atque iſthæc eſt Theologia vera & genuina, unde Theologi nomen ſortiuntur, qui Sacram Scripturam non ἐξ ἰδίας ἐπιλύσεως, ſed ex mente Spiritûs Sancti verè agnitâ interpretari, veritatem perſpectam ex ea deducere ac confirmare, uti & contra adverſarios tueri pollent.

Id verò etiam atque etiam animadvertendum eſt, quòd non pauci S. Theologiæ nomen ſuum dederint, tria illa B. Lutheri monita velut prorſus neceſſaria agnoſcentes, at non cognoſcentes neceſſariam ipſorum indolem. Sunt enim, quod mireris, qui eadem requiſita obſervare videantur, neque hæc tamen ad vivum pertingere penes ſe patiantur. Cauſam hujus defectûs nusquam planiùs inveneris, quàm Joh. IV, 23. in reſponſo, quo Chriſtus Samaritanæ, de iis tantùm, quæ circa orationem accidunt, ſo-

licitæ commonſtrat,requirere Deum orantes *in Spiritu & veritate*. Quàm multi hodienum Samaritidis illius animum gerunt non optimum, optimam contra ejusdem μετάνοιαν fugiunt! Conſvetudo orandi plerisque ab adoleſcentia adhæreſcit, quæ non debebat eſſe conſvetudo,ſed fructus Spiritûs & υἱοθεσίας. Hinc certe fit,ut quam plurimi,quid precentur,neſciant, ipſi etiam Studio Theologico omnibus & corporis & animi nervis dediti ſſimi. Memini aliquando juvenes probitate ingenii,honeſtate morum, nemini ferè non probatos,& hunc morem alioqui non contemnendum ſequi, ut ſapientisſimi Danielis exemplo ter quotidie ſacra facerent, ipſumque obſecrarent Deum de Spiritûs Sancti asſiſtentiâ, quam ſtudiis ſuis præſentisſimam verbis optimis optabant. Iidem verò cum asſiſtentem vellent, nolebant inhabitantem doctorem longe ſanctisſimum; id quod prodebant ſatis ambitione, invidiâ, iracundiâ, cupiditate vindictæ & voluptatum, ipsâ etiam ſtudiorum ratione, quam hiſce Baudii,vel ſimilibus non disſimulabant:

Eſt animus mihi magna volens, magna omnia volvens.

Ita

Ita erant *μετεωριζόμενοι*, humilem Chriſti aſpernantes ſpiritum, neque cogitantes illud Domini: Maximus fiat minimus! Ita orabant illi, ſed orabant malè Jac. IV, 3. i. e. minimè orabant. Quod enim ore ſimulabant, ſive etiam perſvadebant ſibi, vacui atque inanes ſpiritu mentiebantur. Unde non poterat non ſequi porrò, ut corticem rerum divinarum multis coloribus ſuperbientem amarent, nucleum autem, quem, niſi animis ſenſibusq; fractis atque contritis, delibare nemo poteſt, tanquam maxime alienum à ſcopo ſuo, relinquerent animabꝰ *vilioribus*, nec generoſa pectora, ipſorum ex opinione, gerentibus. Neque verò illi fine excidebant ſuo: laudabantur, quippe, præferebantur, evehebantur; ut nempe reportarent præmia ſui generis, quæ non æternitati, ſed tempori asſignat Chriſtus, in Pharisæis notans: *ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.* Qualis verò eorundem Oratio, qualis Meditatio, talis & Tentatio. Hanc nimirum interpretabantur, ſi quando non omnia ad voluntatem carnis fluerent, ſi confligendum putarent cum ſui ſimilibus, vel ſi in dubitationem de aliquâ veritate inciderent, ipſos-

pſos ve conſcientiæ morſus ſentirent aliquando. Quæ omnia cùm ad abnegationem & converſionem veram allicere eos potuiſſent, nihil equidem ſectabantur exinde minùs. Perſvaſi erant de vita Chriſtiana ſibi à teneris familiari, quam in melius commutare, vel ſupervacaneum vel ἀδύνατον videbatur, proptereà quòd media eò deſtinata ſemper debito uſurpâſſent modo. Quocircà nihil ſupererat, niſi ut eâdem viâ pergerent, angores & caſtigationes Spir. Sancti internas ſopirent ſolamine Evangelico, quibus juxta Evangelium pœnitentiâ dignâ & regenerationis obſequiò morem gerere debuiſſent: dubitationes ſi vincere argumentis non ſatis poterant, conabantur excutere, vel ex iis judicare, quæ provectiori ætati reſervanda eſſent; ex quarum pertinaciâ potiùs fundamentum ſuæ fidei arenoſum judicare, & de teſtimonio interno, velut indubitato Spiritûs ſigillo, ſolicitos ipſos eſſe oportebat. Hâc via fit denique, ut nihil veri neque de Oratione, nec de Tentatione aut Meditatione apprehendatur, nedum per hæc media id, quod debebat, impetrari poſſit: quæ tamen culpa nequa-

quaquam tribuenda requiſitis, ſed horum ſive neglectui ſive abuſui.

Quæ autem hinc mala in Eccleſiam, ipſosq; ita infeliciter edoctos homines redundent, dictu horrendum eſt. Permanentes namque in tenebris, qui aliis præbebunt lucem? Illotis verò manibꝰ tractantes verbum ſanctiſſimum, neque unquam Spiritui Chriſti animum ſubjugantes, quid niſi maledictionem, occœcationem obdurationemque in ſe derivant temerè, immò attrahunt? Ego verò planè mihi perſvadeo, quòd divus Apoſtolus, ad deteſtandum quoque iſtiusmodi Theologiæ Studium, *primum & ſecundum Epiſtolæ ad Romanos* caput à Spiritu Sancto actus conſcripſerit, quo utroq; docet, quòd Gentiles pariter ac Judæi, ἀλήθειαν naturalem & revelatam ἐν ἀδικίᾳ detinentes, judicium hoc ipſo divinum promeriti ſint tremendum maximè. Nec eſt quòd dubitemus, quin & hodie multi, ad clariſſimum ſolem qui cœcutiunt, literis ſacris abuſi modis omnibus, more Ethnicorum ſeſe corrumpant ipſi, vel ſub velamine Moyſis detineantur Judæorum ſimiles; quo quidem niſi magis magisq; renitendo ſe onerarent obſir-

marentque,facilè per infinitam Dei miſericordiam liberarentur. At verò quemadmodum duriores Iſraelitæ ad fidem adduci cùm detrectarent,faciebant intelligendo,ut nihil intelligerent; ita eadem ſemper repetitur fabula.

Totius rei cardo in hoc uno vertitur, ut unusquisque Scripturæ deditorum amore ſui poſthabito (huic enim qui indulgent, ſeſe oderunt miſerrimè) animum exploret ſuum, verbo Dei an navet operam in Spiritu & Veritate? Sin exiſtimare velimus, ita quidem orandum,aſt non item meditandum; lapſus atque error in promptu fuerit. Neque enim orare *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* eſt aliud, quàm Spiritui Sancto unito ſpiritu adhærere (*κολλᾶσθαι* 1. Cor. VI,17.) ut unus fiat ſpiritus, una à Spiritu S. afflata ex verbo, & prompto ſpiritu excepta ac reddita veritas,vanitates omnes & vitiorum mendacia, tanquam mare cadavera,expellens ſimul, & exoſculans faciem Jeſu Chriſti,plena gratia ac veritate ſplēdeſcentem. Ita qui orat, non ſecus divina meditabitur,nec tàm in *ratiocinatione*, quàm *unctione*, quâ ſpiritus teſtatur, quod ſpiritus ſit veritas 1. Joh. V, 6. li-

bertatemque afferat à peccatis & erroribus Joh. VIII,32,34 acquieſcet. Ad meditationem hujuſmodi, non ſine aſſiduæ orationis præſidio factam, accedit tum mature tentatio, quæ patientiam atque experientiam, Chriſtiano & Theologo dignam, vivâ cum ſpe parit. Rom. V, 3, 4. Quam viam quicunque ſecutus fuerit, non dubitabit amplius, quin Theologia ſit *habitus* verè *practicus*, ſed non minus hoc experietur in ſingulis dogmatibus, ac mercator unoquoque talento ſe reddi opulentiorem videt. Quòd ſi enim Paulus cujusque hoc Chriſtiani eſſe affirmat, ut magis magisque exuberet in agnitione omnique αἰσθήσει (quæ verba Philipp. I, 9. B. Glasſius Rhet. S. p. 357. ſic declarat: *Agnitio eſt viva in Chriſtum fides, quam comitatur* αἴσθησις *ſenſus, h. e. experientia interior animæ, interius Spiritus Sancti in corde teſtimonium de gratia Dei & adoptione ad ſalutem*) eorum ſane, qui animarum curæ dicati ſunt, officium maximè eſt proprium, ut nullam non articulorum fidei partem, non ſecundum literam modò, ſed præcipuè in ſpiritu divinitus cognoſcant, & ab hodegetâ Spiritu Sancto in omnem veritatem ſenſu ſanctifi-

cationis ipſo ducantur. Habeant per habitum oportet αἰσθητήρια, ſenſus inſtrumenta exercitata, ad diſcretionem boni pariter & mali, Hebr. V,14. de quibus ibidem laudatus Glaſſius commentatur, quòd *per ſedulam verbi divini meditationem, & multiplicem tentationem, ita in fide & pietate fundati eſſe debeant*, ut ſpiritualibus ſpiritualia comparare,& omnia, religionem quæ ſpectant, ritè dijudicare ex verbo Dei poſſint. O felicem Eccleſiam, quæ miniſtris hujusmodi,ipſi lapides vivi qui ſint,fulcitur,pacem Domini ab iis capiens,qui non alienam, ſed jam verè *ſuam* annunciant atque apportant! Ab horum Paſtorum corpore fluenta aquarum vivarum ſaluberrimè profluunt, quibus irrigantur paſcua, oves nutriuntur ad æternam vitam,ipſi mutuò utuntur ita,ut animum *Conſtantini* ament ſapientiſſimum,qui dimittens *Concilium Nicænum*, adhortabatur Patres, ne propter dona & ſucceſſum, aliquibus magis minusve accidentem,invidiâ diſſilirent,ſed tanquam membra unius corporis myſtici,quæ huic fierent accepta,ſua ſinguli omninò eſſe crederent,pacemque ante omnia inter ſe tuerentur; uti apud

Euſe-

Euſebium eſt. Atque ita defluente Spiritûs Chriſti ungvento à capite ipſius Aaronis noſtri in barbam, hoc eſt, in virum ἄρτιον, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένον. 2. Tim. III, 17. & in veſtimenta ejus, fideles nempe auditores, ut ros cœleſtis in montes Sion fluxu inoffenſo deſcendat; *illic, hoc eſt, in montibus Sion, in virtutibus, in fide, in confeſſione, in dogmatum veritate, illic eſt benedictio*: quâ ipſa interpretatione delectatur *Hieronymus.* שם צוה יהוה את הברכה חיים: ἐκεῖ ἐνετείλατο κύριος τὴν εὐλογίαν ζωήν. illic mandavit Dominus benedictionem & vitam. Pſ. CXXXIII, 4.

Hâc benedictione, utpote quæ cordibus humanis cum Deo unitis certiſſima eſt, ut terræ bearentur, nihil & Veteris & Novi Teſtamenti diebus habitum eſt antiquius & venerabilius. Ibi Prophetæ Prophetarumque filii, & omne genus Leviticum hâc fini colebatur, ut ne deeſſent populo Iſraëlitico, qui rectam docerent viam: hîc Chriſtus Apoſtolos, Apoſtoli alios, Timotheum & Titum, ad quos Epiſtolæ huc ſpectantes per Spiritum Sanctum datæ, propter animos æterna beatitate imbuendos, exemplo ſuo & doctrina præiverunt. Poſt etiam Cœnobia

nobia inſtituto primùm non peſſimo; denique ipſæ Univerſitates à Sapientisſimis Cæſaribus & Regibꝰ fundatæ ſunt, ex quibus ad Rempublicam & Eccleſiam piè ac feliciter moderandam, parati per gratiam divinam homines, veluti canales pingvedinis ex alto, peterentur. Neq; aliud eſt, quod *Sereniſſimus & Potentiſſimus Elector Brandenburgicus* FRIDERICUS III. pro ſapientiâ ſuâ celebratisſimâ intendit, quando ab aliquo tempore de Academiâ apud *Hallenſes* ſuos condenda, in honorem Regis Regum, & Domini Dominantium, Eccleſiæ ac Reipublicæ bono conſilia ſuſcepit, quæ Deus Opt. Max. Pater luminum donorumque omnium, porro eſſe jubeat fauſtisſima! Et verò ſuccesſit hucusque res ita ex ſententiâ, ut dudum nec docentes in Facultatibus ſingulis, nec diſcentes atque audientes deſint. Cum autem interſit complurium, noviſſe, qualia & quanta in Cives Academicos, etiam Theologico Studio addictos, collaturus ſit beneficia *Elector Clementisſimus*, magna certè illa ſunt ac planè eximia & ſingularia. Solet optimorum comes ingeniorum eſſe paupertas, præſertim ſacris deſtinatorum;

quo-

quorum hîc cura & ratio ſubſidiis certis & ita dictis *ſtipendiis*, quæ poſthac in Univerſitate Hallenſi degentibus conferentur, haberi poteſt. Fiet etiam *Potentiſſimi Electoris* juſſu, ut qui *Halæ Saxonum* literis dederunt operam, præter cæteros functionibus vacantibus in Ducatu Magdeburgico aliisq; provinciis admoveantur. Quibus accedit inſtitutum incomparabile, quòd in hâc ipsâ Academiâ peculiare *Seminarium Theologicum* plantare juſſum clementisſime eſt, ita comparatum atque adornandum, ut inde Concionatores omnes ac Scholarum Magiſtri in Provinciis Electoralibus ſeligi ante alios ac prodire queant. Neque eſt quòd ex malè receptâ aliquibus in locis conſvetudine propoſitum iſthoc judicetur, ac ſi in numerum illorum ſint tantùm recipiendi, qui patriam in terris Electoralibus ſuam agnoſcunt. Horum enim ut ratio non minùs habebitur æquisſima, quoad digni fuerint, ita verò nec cæteros excludet Electoralis Gratia, ſed potiùs cunctis patebit, qui modò ſanctimoniâ & doctrinâ mentes ſuas muneri Eccleſiaſtico quàm optimè conſecrârint.

Eſt mei officii, tanta Electoralis Indulgentiæ documenta celare neminem, poſtquam *Potentiſſima Ejus Serenitas* me ex *Academia & Republica Erfurtinâ*, ubi antehac S. Theologiæ A. C. Profeſſor, Miniſterii Evangelici Senior, Gymnaſii Senatorii Prot-Ephorus, & Eccleſiæ, Prædicatorum quæ dicitur, Paſtor fui, in novam Academiam ſuam Hallenſem ad Profesſionem Theologicam & dicti Seminarii Theologici Directuram, necnon Conſiliarii Spartam in Ducatus Magdeburgici, hîc quod eſt, Conſiſtorio Electorali, clementisſimè vocavit. Cui quidem *Potentisſimi Electoris, Domini mei Clementisſimi*, gratiæ ſummæ ut humillimis fiam obvius obſequiis, in nomine Domini noſtri Jesu Christi novis me accingo functionibus, publicaque hâc tabula ſignifico, quomodo Lectionum Theologicarum publicè & privatim inſtituendarum initium, volente Deo, ſim aggreſſurus. Cùm igitur primordia earum in dies *Martini* memoriam conſequentes incidant, propterea quòd & mihi exiguum iter eſt conficiendum, & præter eos Theologiæ Cultores, qui adſunt, nonnulli intereà exſpectantur, ingreſſum piè tum faci-

faciendum duco ſolenni quadam oratione, cujus habendæ locus & dies circa tempus dictum denuo intimabuntur, argumentum autem futurum eſt *de Reformationis Evangelicæ Naturâ & indole.* Exinde quotidianæ lectiones & publicæ & privatæ continuo ductu ſequentur, publicè quidem initio ſumendo ab *Epiſtolâ ad Romanos*, tanquam Apoſtolico Credendorum Agendorumq; Compendio, quo nomine & inſtitutio noſtra erit partim exegetica, partim dogmatica, ad Articulos Fidei ſanctè & firmiter radicandos accommodata; privatim vero *Libris Symbolicis* ita declarandis, ut intelligant Auditores, quantopere ac quomodo *Majores* ex Scripturis Sacris & doctrinæ puritatem & Fidei praxin ubiq; apud animum inveſtigandam urgeant. Alia horâ quotidiè *Examinatorium* habebitur, quo Articuli Fidei in theſi & antitheſi ex Scriptura & Libris Symbolicis ab Auditoribus requirentur, præſertim Seminario Theologico adſcribendis. Aliis quoque Laboribus Theologicis quibuscunque, Diſputationib9 & Collegiis, promtisſimam deinceps operam deſignamus, ſive *Exegeticis* ac *Poriſmaticis*, ſive *Hiſtoricis* & *Bibli*-

cis,

cis, ſive *Dogmaticis* & *Polemicis*, prout ratio Auditorum, quibus optime conſultum volumus, omni tempore flagitabit; id tetam inprimis ſpectaturi, ut non ultra ſemeſtre ſpatium, quæ incepta fuerint, protrahantur.

Quod ſupereſt, palmarium illud ad animum cuiq; revocamus, ut Sacroſanctum Theologiæ nomen profitentes in id unicè incumbant, ut quod inter præſupponenda recenſere ſolent, ſanctificationis ſtudium, quàm arduum illud ſit filiorum Dei opus, de converſionis ſuæ certitudine ſoliciti, dignè æſtiment, ne ex tractatione verbi indignâ incredibilem vindictæ divinæ gravitatem, ſed ex oratione, meditatione ejus & tentatione ſibi aliisq; æternùm profutura bona conſequantur. Tam felicem jubeat eſſe Deus *παντοκράτωρ* Electoralem Academiam Hallenſem, ut, qui ad eam ſe recepturi ſunt, meliores juxta & doctiores ſemper evadant! Ita Supremo Patri cœleſti, ita Patri Patriæ Clementiſſimo, quē Ille Paternè ſoſpitet, Filia hæc cùm uberrimâ progenie præſtabit ſe acceptiſſimam, magisque ac magis effloreſcet in æternitatem. P. P. in Acad. Hallenſi Anno M DC XCI.

Pro-

PROGRAMMA II.

De B. ILLUSTRIS SECKENDORFII LAUDIBUS, NOMINE HALLENSIS ACADEMIÆ.

DEceſſit ex hoc vitæ ſurgentisque Academiæ noſtræ theatro Vir ſummus, Per-Illuſtris atque Excellentisſimus Dominus, DN. VITUS LUDOVICUS à SECKENDORF, Eques Imperii Immediatus in Ober-Zennâ & Meuſelvviz, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI Conſiliarius Intimus & Cancellarius Univerſitatis FRIDERICIANÆ &c. cujus ut acceſſu non ita pridem mirificè lætati eſtis, Cives Academici, atque ex eo Serenisſimi Academiæ Parentis curam perſpexiſtis indulgentisſimam, ſic fatali iſthoc diſceſſu non poteſtis non etiam atque etiam ægerrimè nobiſcum affici. Ecquid verò publicam doloris teſtificationem merebitur, ſi nos tam venerabilis Capitis jacturam haud dignè lugeamus? Singularis omninò DEI bonitatis & providentia tanti viri poſtremum ætatis curſum atque uſum conceſſiſſe nobis videtur, ut quem tot di-

vinæ benignitates omnibus virtutum, ſapientiæ ac meritorum ornamentis ad ſummum terrenæ beatitatis faſtigium provexerant, vitam is laudatiſſimam hujus ineuntis Academiæ in complexu finiens, nullis non ipſius Civibus atque filiis, præſentibus & conſecuturis, magnum illud ſuum, quod totius orbis ſub conſpectu circumferebat exemplar, commendaret tanquam proprium ac bono omine relinqueret. Hôc igitur nihil carius, nihil antiquius habere convenit, præſertim cùm ipſa primitivæ Eccleſiæ ſanctitas Chriſtianorum exempla Heroum, quorum in numero SECKENDORFIUM Noſtrum, de Republicâ & Eccleſiâ longè meritiſſimum, non immeritò collocamus, ſermone & memoriâ conſueverit celebrare. Quod quidem inſtitutum, quoad citra oſtentationem ſimulatiònemque ſervatum eſt, cœtui Fidelium ſalutare admodum fuit, requirens idem nunc à nobis officium, quò magis B. Cancellarii integritas erga Deum atque homines, cum incredibili gravitate conjuncta, & minimis maximisque rebus ſpectata, in omni ejus vitâ facilè cognoſcitur, cujus ſeriem aliquâ ratione delineandam
ſtatui-

ſtatuimus. Atque utinam ipſum annorum ſuorum haberemus ſcriptorem, optare ſinceriorem certè poſſemus neminem. Ita dextrè, apertè ac conſtanter, de ſuis pariter atque alienis rebus, ſolebat agere, uti ex quotidianæ conſuetudinis recordatione & quibusdam monumentis palàm conſtat, præcipuè autem videre licet ex annotationibus germanicè conſignatis, quarum nonnullæ veſtro, Cives Academici, bono hic adducentur. Generis originem traxit ex illuſtri familia Equeſtri & Imperiali libertate in Franconiâ per plurima ſecula gaudente, cujus *Majores* ſeculo ſuperiori, inter primos ex contribulibus ſuis, Lutheri dogmatibus aures præbuerunt, & quas habebant Parœcias, ad exemplum aliorum Magiſtratuum reformârunt: natus A. cIɔ Iɔc XXVI. die XX. Decembr. in oppido Franconiæ Bambergico, cui nomen Auracia-Ducis, prope Noribergam ſito, ubi Pater Generoſiſſimus DN. JOACHIM à SECKENDORF, Dominus Hæreditarius in Ober-Zennâ, Præfecturam id temporis tenuit, Magiſtri Equitum Aulici munere ſimul functus apud Principem Bambergiæ Illuſtriſſimum. Mater Ge-

neroſiſſima erat DN. MARIA ANNA à SECKENDORF, nata SCHERTELIA de BURTENBACH, Sebaſtiani Schertelii, celebratiſſimi illius in bello Smalcaldico Herois, Equitis Aurati & Burtenbachii Dynaſtæ, Proneptis. Quorum illuſtrium Parentum providâ ſolicitudine cùm à teneris annis literarum eſſet ſtudiis addictus, longum foret, hîc enarrare, quas mirabiles fati vias, difficillimis temporibus, in adoleſcentiâ expertus ſit; exemplo & ſolatio omnibus, qui non ſuis, ſed Divinæ gratiæ opibus confidunt. Primam ætatem, à quinto ad duodecimum usque annum, ſub varia rerum viciſſitudine Coburgi, Mulhuſii atque Erfurti, publicâ & privatâ Schola uſus, ita exegit in pietatis & literarum ſtudio, ut decimo anno latinæ linguæ juxta Grammaticam ſatis gnarus haberetur, Mathematicis quoque, & linguæ Gallicæ, uti & cum Græcâ Hebraicæ, ductu meritiſſimi Theologi, D. Bartholomæi Elsneri, operam navans. Mox talium profectuum fama ad aures venit *SERENISSIMI* Ducis *ERNESTI*, PII nomen promeriti, qui tam nobilem adoleſcentem clementiſſimè amare cœpit, vocatumque in

in Aulam Coburgenſem unà cum duobus Principibus Würtenbergicis curavit informandum. Unde poſteà Rectoris Gymnaſii Gothani, B. M. Andreæ Reyheri fidei ſic commiſſus eſt, ut duos integros annos in Claſſe primâ, tanquam publicis literarum caſtris, ſub eô militaret. Anno ſeculi hujus quadrageſimo ſecundo in Academiam Argentoratenſem eximiâ eruditione præſtans ſe contulit, eam intra paucos annos graviſſimorum ſtudiorum peritiam precibus atque induſtriâ porrò aſſecutus, quam alii vix compluribus acquirunt. Cùm deinceps in Aula Haſſiaca Darmſtatina egiſſet aliquandiu, divinâ providentiâ diſponente factum, ut in itinere Gotham delatus à Beatiſſimo Principe detineretur, oblato clementiſſimè uſu Bibliothecæ & Conſiliariorum, vitæque genere iſtiusmodi, quod quidem titulum à Nobilium Aulicorum officio gereret, immune tamen eſſet ab ordinariis functionibus, hâc nimirum fini, ut aſſidua doctrinarum cura ad ſublimiora negotia ſe aptum magis magisque redderet. Hìc verò SECKENDORFIUS, accommodatam ingenio vaſtiſſimo occaſionem nactus, optimam Indul-

gentiſſimi Principis ſpem nequaquam fruſtratus eſt,ſed anno quadrageſimo ſexto tam benignam ingreſſus conditionem, omnibus in id viribus incubuit, ut & ſtudio & ordine tractandarum rerum digniſſimarum tanti ſatisfaceret Ducis expectationi. Nam, quâ fuit Dux inclytus ſanctitate, prudentia & conſtantia, cum Equite obſequioſiſſimo ita fecerat, ut hic ſingulis ſeptimanis ſæpiusculè captaret opportunitatem, quâ admiſſus mitiſſimis auribus proponeret, quæ memoratu digna commentando obſervata eſſent; idque hâc præſtaret lege, ut, quemadmodum in rebus aliis alii ad demonſtrandam negotiorum utilitatem compellebantur à Principe accurationis amantisſimô, ita ſimiliter ille in omni doctarum occupationum recenſione uſum praxinque intenderet, eoque dirigeret omnem meditandi rationem, uſurus potius literis, quàm fruiturus. Idcircò, hisce curis accinctus Generoſus Juvenis, quotidiè laborabat acerrimè, horis matutinis ſacra & Juridica, pomeridianis autem varia tractabat, excerpens Theologica & Politica, Medica etiam, Hiſtorica, Geographica, Genealogica, Poëtica, Philologica,

logica, & quæcunque usquàm majoris momenti eſſe judicabat; ſufficienter ad id dignoſcendum inſtructus diſciplinanarum inſtrumentis atque linguis, Latina, Græca, Hebraica, Gallica, Italica, Hiſpanica, Danica & Suecica. Quo in ſtatu convictu eſt gaviſus Concionatoris Aulici B. Brunchorstii, cujus religioſiſſimi Theologi ex ore nihil ferè, niſi ad vitæ ſanctimoniam & vanitatis rerum deſpicientiam ſpectans, audire meminit, tàm arcta cum eo familiaritate uſus, ut ipſum ad mortem usque intimo affectu & amicitiâ proſequeretur. Suo igitur ductu quam virtutem colebat ac temperantiam, ita fideliter cuſtoditam, ut ab omni juventutis protervitate integrum ſe manſiſſe affirmârit ſanctisſimè, quotidiano Viri optimi diſcurſu ex verbo Dei ſolidè corroborabat, eoque cupidius, quò ſegniùs hujusmodi quid á Profeſſoribus, aliisque gravitatem munerum præ ſe ferentibus, pro rei dignitate moneri, ceu ſcribit, expertus fuerat. Nec verò exigui hoc momenti reputabat, verùm adeò magni ſibi tunc etiam viſum eſſe teſtatur, ut ex eô tum conſcientiæ tranquillitatem, id quod longè maximum eſt,

tum ſanitatis & rerum dignè gerendarum emolumentum pendere animadverteret. Poſtquam enim per Dei gratiam ſic firmiter apud animum ſtatuerat, obſervans non ebrietatem modò, ſed ipſam quoque nimiam ſaturitatem divinis humaniſque commodis ingenti eſſe obſtaculo, ipſe ſibi in omnibus leges præſcripſit ac modum, atque hâc via ad perficienda negotia, & cultum Deo absque languore & pigritiâ perſolvendum, expeditiſſimus ſemper manſit: quæ propria ejus verba ſunt, ex germanico idiomate reddita latinè. Tali proinde ſobrietate conſtanter adhibitâ, longoque iſtiusmodi uſu facultatibus mentis ac corporis ad agendum aſſvetis, non mirandum, ſæpè obſtupuiſſe amicos, qui poſterioribꝰ annis tot tantasque occupationes ab uno viro celerrimâ promtitudine ſuſtineri, interque eas ipſum vacare libris legendis, ſcribendis, edendisque partim expreſſo, partim ſuppreſſo nomine, non tam crediderunt, quàm rei veritatem oculis uſurpârunt ſuis: quibus interdum quærentibus, quid arcani haberet, quo præter omnium opinionem tanto par eſſet oneri, ille exploratiſſimum hoc unum aſſe-

aſſeverare eſt ſolitus, quòd Dei agnoſceret gratiam, ſed precibus & laboribus asſiduis, ſed vigilanti animi præſentiâ, ſed temporis & corporis curâ ſolicitè obſervandam atque excolendam. Hæ mihi ſunt artes, inquiebat; usque adeò à teneris adſveſcere multum eſt! Iisdem artibus cùm Gothæ primos duos annos varia perſecutus ſtudia eſſet, degens potiſſimum extra aulam, ſapientiſſimus ERNESTUS eum propiùs ſecum eſſe voluit, auctâque dignitatis & beneficii ratione, in Comitum Cubiculariorum cooptavit ordinem: ex quo tempore vela ſua ampliùs expandere juſſus, ſpeciali mandatô nunc ad publica elaboranda, nunc ad itinera Principali nomine ſuſcipienda, clementiſſimè adducebatur. Anno dehinc quinquageſimo deſiderabatur in Patriam Franconiam, præficiendus Principi tum Juniori, *DN. CHRISTIANO ERNESTO*, Marchioni Brandenburgico-Bayreuthenſi, hodiè regnanti: *ERNESTO* autem Saxo-Gothano multò charior erat, quàm qui dimittendus videretur. Quam ob rem ex meritô conferebatur illi ſequente anno quinquageſimo primo, ætatis vigeſimo quinto, Sparta Conſiliarii Aulici

& Eccleſiaſtici, quam indipiſcens decreto Sereniſſimi à Cancellario & Conſiliariis, Promotis Juris Doctoribus, ſpeciatim ab unoquoque, examinatus eſt. Accedebant *A. LVI.* curæ Camerales, quibus ſuperſedere quidem maluerat, ut Regiminis & Conſiſtorii cauſis ſolummodò eſſet dicatus; verùm aliter Sereniſſimo viſum, ex voluntate DEI, & quidem hujus conſilii occaſionem præbente exemplo rei familiaris, quam ſuos intra parietes, ductâ in matrimonium Generoſiſſimâ Virgine, *DN. ELISABETHA JULIANA* de *VIPPACH*, ab annis aliquot inſigni ipſe prudentia adminiſtrarat. Nec fefellit Ducem prudentiſſimum concepta ſpes, ſiquidem octo poſteà annos Camera Ducalis Conſiliarii hujus & Directoris ſolertiam experta eſt uberrimè. Eodem anno vocabatur clementiſſimè à Sereniſſimo *FRIDERICO WILHELMO*, Duce Altenburgenſi, ad Jenenſem Judicis Aulici provinciam. *A. LXIII.* à Sereniſſ. ſuo *ERNESTO*, Gothano, ad ſummum Aulicæ dignitatis apicem extollebatur, factus Conſiliarius Intimus ac Miniſter Primarius, Regiminis & Conſiſtorii & Cameræ ſupremus Director. Etſi verò tam amplis admo-

admotus muneribus, præſertim apud illum Principem, cujus Miniſtri nunquam otioſi eſſe poterant, negotiorum multitudine ſemper cumulatus & tantùm non oppreſſus fuit; tamen ſuffultum iis artibus, quas commendavimus ſuprà, minimè peperciſſe illum literis interioribus & reconditis, vel ſolum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudium indicio eſſe poteſt, cujus mentionem facit in Præloquio Commentarii de Lutheraniſmo, fructusque admirabilis omnium ante oculos verſatur in Compendiô Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothanô, agnoſcente *SECKENDORFIUM* eximiæ partis Autorem: teſtatur idem crebra Celſiſſimi *ERNESTI* erga eum facta admonitio, ipſo ibidem referente, ut Reformationis ſuperiori ſeculo in Germania, aut ſaltem in Saxoniâ, peractæ Hiſtoriam literis mandaret; quod divinitus ingeſtum conſilium, poſt longum temporis intervallum, in ſenectute implere debuit. Intereà multos adhuc annos moleſtias ſeculi devoravit ille. A. LXIV. præter alias ſummas vocationes ex Aulâ Saxo-Gothanâ, ſecutus Sereniſſ. Ducem *MAURITIUM* ad Conſiliarii Intimi & Cancellarii Citicenſis munus, con-

ſci-

ſcientiæ rationibus adactus prægnantisſimis. In hâc Aulâ denuò ſeptendecim vixit annos, curis longè graviſſimis oneratus, adjunctus etiam Cameralibus dirigendis. Et verò tanta ibi gratiâ fovebatur ob meritorum excellentiam, ut Clementiſſimi Principis conſenſu, à Potentiſs. *JOHANNE GEORGIO II.* Electore in Conſiliariorum Intimorum numerum aſcitus A. LXIX. & A. LXXVI. Director Provincialis Altenburgenſis, & A. LXXX. Director Aerarii in eodem Ducatu ſupremus à Sereniſſ. *FRIDERICO*, Saxo-Gothanô, conſtitutus ſit. Inſequente autem octuageſimo primô, cùm laudatus *MAURITIUS* fato decederet, dudumque B. Cancellarius cum Hero adhuc vivente pepigiſſet ita, munere illo Citicenſi prorſus ſe abdicavit, dignitates retinens Altenburgicas, & Meuſelvizium, in prædium atque oppidum ſuum Altenburgenſe, concedens, aſſumtis præterea honoribus Conſiliarii Intimi à Sereniſſ. *JOHANNE GEORGIO*, Saxo-Iſenacenſi, peculiares ob cauſas delatis. Tandem igitur poſt triginta annorum, duobus magnæ pietatis & virtutis Principibus, *ERNESTO* & *MAURITIO*,
præ-

præſtitum fideliſſimum pariter & laborioſiſſimum miniſterium, emerito huic Equiti & Heroi iſta contigit felicitas, quam diu, & præſertim poſt completum quinquageſimum ætatis ſuæ annum, multis precibus à Deo petiverat, ut quod reſtaret vitæ liberum à curis moleſtiſſimis tranſigere daretur. Quò quidem *obſtrictiorem* ſe eſſe exiſtimavit (ita loquitur dicto in Præloquio Commentarii de Luther.) ut reliquos annos, quos penè ſolos vitæ numerabat, ita impenderet, ut DEO, cui omnia ſe debere profitebatur, etiam otii ſui rationem reddere paratus eſſet. Quocircà annitebatur, ut occupatio primaria circa res cœleſtes verſaretur, omniumque aliarum exiſteret comes illa atque directrix: & quoniam ad hunc ſcopum ſibi propoſitum ſacræ diſciplinæ proximè accederent, quarum rudimenta puer didicerat, profectum nunquam penitùs neglexerat, arctius cum iis commercium renovandum eſſe duxit, cæteris miſſis aut infrequenter ſalutatis, quæ in negotioſa etiam vita ſeſe offerebant, civilis licet ſcientiæ utilitate æſtimabiles & aliquando neceſſariæ. Commentatus erat in Citicenſi amplitu-

dine

dine librum de Statu Principum Germaniæ, hominibus Politicis auro contrà carum. Nunc verò omnia ſua ſtudia, omnemque operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem deniqueomnem in præparationibus ad beatum obitum figens atque locans, ſtatuebat vix aliud quicquam ſcribendum, quod eò non pertineret. Argumentum haud alienum videbatur, quod etiam vehementer approbante MAURITIO meditari cœperat, contra profanos Aulicorum quorundam ſermones, utpote quos ſummopere deteſtabatur Dux optimus, & publicè refellendos putabat: unde confectus liber de Statu Chriſtianiſmi eſt, Theologiæ & Juris peritis acceptisſimus. Hôc edito, mox quidem ſubmiſit Orationes Germanicas, pro Solennibus Aulicis diverſo tempore & loco habitas, ſed ita elaboratas, ut ſolidæ ſanctæque virtutis radii undique eluceant; quarum editioni appoſitâ præfatione concludit, ſe inpoſterum ad emendationem ſui ſecum locuturum, ingenuis hiſce verbis additis: *Ne notus nimis omnibus ignotus moriar mihi.* Ceterum quantopere animæ curam ſuæ exercuerit, abundè confirmat labor ille incomparabi-

parabilis, quem Sanctisſimus Senex in latine reddendas Theologi cujusdam meditationes exemplo neutiquam frequente inſumſit, nullum certe in finem alium, quàm ut cogitans de perſpicuâ verſione ipſas res eò altiùs imbiberet digereretque. Atque anteà memoratis ſcriptis aliqui forte experientiæ ac ſcientiæ, per tot annos acquiſitæ, fructûs publici juris ſunt facti: at enim ut campum ingrederetur, in quo excurrere ampliùs virtutes cognoſcique poſſent, Deo ſane acceptum ferendum, quòd Beatisſimus Vir tam opportune vetus ERNESTI conſilium, rebus in quietum ſtatum compoſitis, ad refutandam Maimburgii Galli de Lutheraniſmo Hiſtoriam applicare ſuſtinuerit. Cùm enim non minimæ ſint Hiſtorici partes, ſed ut ipſe judicat, ſeligendus ad eas meritò ex Conſiliariorum ſive Miniſtrorum numero optimus, mente calamoque vividus, talis ſcilicet, qui maximis gravisſimisque negotiis per aliquot annos exercitatus, Linguarum & ſtyli peritus, induſtrius, ſobrius, laborioſus, probatæque virtutis, pietatis & fidei eſſet, cui omnia arcana credi tutò posſint, in tanta præſertim cauſa Eccleſiaſtica; quis quæſo,

recti-

rectiùs numeros illos implere poterat, quàm SECKENDORFIUS, cui ſoli, quicquid latebat in Saxonicarum Aularum Archivis, vel notum, vel non occultandum erat? Itaque Hiſtoricam veritatem monumentis certisſimis luce & majeſtate nativâ donaturus, reperiebat omninò, ubi prudentiam Politicam & Eccleſiaſticam, variamque doctrinam, innumeris obſervationibus firmatam, in dijudicandis tot rebus & cauſis antiquiſſimis explicaret, eo autem pietati ipſius aptiſſimo ſucceſſu, ut ſimul in negotio illo ſacro Lutheri, Melanchthonis, aliorumque Principum & virorum dictis, factis ſcriptisque ſanctisſimis faſtidium moleſtiarum omne abſtergere, animique ad cœleſtia inflammati igniculos alere ac ſuſtentare poſſet: cujus utriusque rationis quantò expreſſiora, quantòque illuſtriora divinum opus ubique præbet documenta, eò admirari magis bonitatem Dei, & amare indefesſi Herois ſanctitatem oportebit. Verùm enim verò hiſce curis intentum illum Pater Opt. Max. deſtinabat novis adverſæ ac ſecundæ fortunæ viciſſitudinibus afficere, ut ſervum adeò dilectum omni crucis, amoris atque honoris

honoris genere conſummaret. Namque Anno LXXXIV. dilectiſſima Conjux, tot annorum laborumq; ſocia, beata morte ærumnis quidem terreſtribus, aſt ipſi non ſine ingenti dolore eripiebatur, ex quâ primis conjugii annis binas filias ſuſceperat, fato ſuo celeriter defunctas. Quæ verò arcana divinæ benignitatis conſilia ſunt, nova optimo Seni reſervata erant gaudia, quanquam ut filios Dei experiri decet, certis nunquam non temperata calamitatibus. Ita nimirum factum, ut Ao. LXXXV. ſpectatarum virtutum virginem, Generoſisſimam *DN.* SOPHIAM SUSANNAM ENDI-*AM*, nunc Viduam mœſtisſimam, ſibi in matrimonium & ſolatium aſciſceret, tam fauſto eventu, ut hujus blanda fidelitate, ipſum ante obitum adhuc prædicata, non *tantùm* commodè uteretur, ſed etiam in ſenectute ſua benedicti conjugii fœtûs referret; filiolâ quidem primùm, ipsâ cum nativitate ad cœleſtem patriam emigrante, deinceps verò Anno XC. filio admodùm vegeto auctus: qui ut feliciter cum Matre Illuſtri vivat, Parentisque meritisſimi ſicut nomen, VITI LUDOVICI, ita & virtutes reportet ac ventu-

ro ſeculo reſtituat, etiam atque etiam Deum precamur. Poſt contractas ſecundas nuptias incendium quoque in oppido ſuo intueri debuit Vir exercitatiſſimus, ſic permittente Deo, ut occaſio ſuppeditaretur præſtandæ miſericordiæ & liberalitatis, quam erga ſubditos alioſque amicos tam larga facilitate executus eſt, ut ipſum vere opum Dominum ſuarum extitiſſe omnes nôrint. Videtis hactenus, Cives, in Seckendorfio Noſtro nihil non admirandum occurrere. Unum ſupereſt, coronidis habendum loco. Vitâ ejus ad finem properante, ſingulari adhuc coronâ eximias Viri virtutes dignari in terris voluit cœleſtis providentia', excitavitque Sapientiſſimum Suum FRIDERICUM, Tertium hujus nominis ELECTOREM BRANDENBURGICUM, Dominum Nostrum Clementissimum, qui anno ſuperiore XCI. probatiſſimum Senem ob tanta merita, in toto orbe dudum conſpicua, ſuum nuncupare Conſiliarium Intimum decernebat. Nutum hunc divinum is veneratus humillime, amorem in ſe celſiſſimum valde auxit, quando ea ætate in rebus obeundis dexteritatem oſtendit

inuſi-

inuſitatam, cui nihil virium deeſſe videbatur. Ut propterea hujus Miniſtri, omnibus & prudentiæ & doctrinæ opibus tantopere muniti, uſus quam optime collocaretur, viſum eſt Potentisſimo ELECTORI affectu plane paternô, Univerſitati FRIDERICIANÆ ſuo illum nomine & loco tanquam Cancellarium præficere. Quo quidem decreto rebus noſtris fortuna affulgebat præſentisſima, ita etiam confirmata, ut Vir in Reipublicæ & Eccleſiæ bonum prorſus natus, ſedem quietam deſerere, & Academiam Electoralem gubernandam ſequi nullus dubitaret, immò adveniens curas Eccleſiæ gravisſimas jam tum compoſuerit, plurimaque commoda meditaretur. Jam verò nos ipſe eventus edocet, quòd Numen Supremum ſervum hunc fidisſimum eâ præcipuè fini huc miſerit, ut rebus Eccleſiæ pacatô ſtatu frui jusſis, quem apprimè commendare ſolebat, Academia noſtra Fridericiana illuſtrisſimum primi Cancellarii exemplum, ut initiò diximus, ſibi ſemper ante oculos propoſitum ſervet. Quam fati clementiam ut in magnâ felicitatis parte omninò ponimus, ita perſuaſisſimum habe-

 bitis,

bitis, Cives, Beatisſimum Senem tantam de vobis ſolicitudinem iniiſſe, ut ad poſtremum usque morbi ſenilis diem, de commodis Veſtris, ſuoque in illa ſtudio loqueretur. Vos mente id gratisſimâ agnoſcatis neceſſe eſt, cùmque exuviæ Patroni Patrisque tanti, anima dudum apud Chriſtum triumphante, die indicto hinc Meuſelvizium abducendæ ſint, perſolvatis extremum illi honorem nobiſcum funus comitando; quod non tam à nobis rogati, quàm obſervantiâ veſtra & pietate ipſa compulſi facietis. P. P. in Acad. Hal. A. M DC XCII.

Programma III.
De
STUDII DOGMATICI NECESSITATE.

Res omnes noſtræ aut neceſſarii, aut utilis, aut delectabilis genere comprehenduntur: præclare inquit Scaliger in Hiſtorico. De rebus quidem ad æternam hominum ſalutem ſpectantibus, *omnia* neceſſaria & *magna ſunt, quæ dicimus:* (judicante maximo Eccleſiæ Patrum Augu-

Auguſtino de Doct. Chriſt. l. IV, 18.) *usq; adeò, ut nec de ipſis pecuniariis rebus, vel acquirendis vel amittendis parva videri debeant, quæ Doctor Eccleſiaſticus dicit, ſive ſit illa magna, ſive parva pecunia. Neque enim parva eſt juſtitia, quam profectò & in parva pecunia cuſtodire debemus, dicente Domino: Qui in minimo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt. Quod ergò minimum eſt, minimum eſt: ſed in minimo fidelẽ eſſe, magnum* & neceſſarium *eſt.* Oportet namq; in divinis, non tam rerum magnitudine, earundem metiri neceſſitatem, quàm ex neceſſitate fidei ac pietatis in omnibus exercendæ, magnitudinem illarum æſtimare. Quod ipſum veluti circa mandata Dei obſervanda, ita de partibus doctrinæ ſanctiſſimæ credendis; nec minùs in Legis atque Evangelii cognitione Chriſtianorum cuivis, & in cognitionis Theologicæ progreſſu vel diſcrimine futuris Eccleſiæ Miniſtris, præter cætera animadvertendum. Hac autem ſusque deque habita cautione fit, ut, quemadmodum fatui ementes ſolent, ornamenta antè comparentur, quàm commoda, & hæc, ſive utraque, priùs quàm neceſſaria. Unde mirari nemo poteſt, ſi deinceps variam & eximiam quandam eru-

ditionem plerique præ ſe ferant, at pauci fortaſſe, in quibus inſit unicum illud, abſque quo reliqua tanquam *accidentia ſine ſubjecto* ſunt, reperiantur. Non ergò nunc ad ea, quæ utilia fortè haberi queant, aut certum quoque ad finem requirenda, nedum quæ ex delectabilium genere cenſeantur in ſtudiis Theologorum, ſed quæ nec minimo Paſtori animarum deeſſe debeant, auditores noſtros invito. Quæ quàm neceſſaria ſint, minimè, credo, in dubium vocabit quiſquam: neque verò, qui hoc conceſſerit, non accuſabit morem ætatis pœnitendum, quo ſpretâ domicilii fundandi curâ, præceps animi juventus tectum ipſum, antequam conſtruere poſſit, conatur aſcendere. Quid hujusmodi homines ædificabunt apud alios, niſi humanas ſuarumque ſimiles perſuaſiones, quibus quos ceperint, ſvaviter ad gehennam comitentur? Vos verò, ô Optimi, quibus ſalus & veſtra & proximi curæ cordique eſt, divinum audite B. LUTHERI conſilium ſuper Pſ. XLV. tom. III. lat. *Qui incumbitis ſacris literis, ante omnia conſtituite, quid credatis in religione Chriſtiana, ut habeatis articulos fidei munitos bonis*

bonis textibus Scripturæ S. & benè meditatos. Deinde, quando tecum volunt diſputare, vel Satan, vel ejus inſtrumenta Hæretici, tunc objice eis illos textus, & deſere eos dicens: Cavillationes ac ſpeculationes tuas audire nolo; hoc enim dicit Sanctus, qui me monuit, ut audirem, & inclinarem aurem. Ex quibus intelligitur, etſi veritatem æternam non tantùm ex Scripturis confirmare, ſed etiam contra adverſarios defendere, officium Theologi eſt (nam hoc negare Lutherum velle, tantum abeſt, ut ſuo ipſius exemplo præſtiterit utrumque;) tamen ſi facienda ſit optio, qualem Studioſis multis hodie extorquet *duris urgens in rebus egeſtas*, longè tum præſtare, qui ſolidam orthodoxæ doctrinæ notitiam, ex ipſo DEI verbo ita conceperit, ut ſingula dogmata manifeſtis vel αὐτολεξεὶ vel κατὰ συνακολέθησιν Scripturæ teſtimoniis, poſtquam à Spiritu Sancto unctionem, id eſt, divinam invictamque impetrârit ſimul certitudinem, abſque hæſitatione demonſtrare poſſit, quàm ex omni armamentario arma viroſque canere ac recenſere. Ea nimirum exiſtit vis veritatis atque indoles, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, facilè

cilè ſe per ſe ipſa defendat. Factum fuerit quidem optimè, quando fundamento iſto non levi brachio, ſed plurimâ cum *oratione, meditatione ac tentatione* jacto, ex tota Antiquitate & poſterioribus ſeculis errores Adverſariorum cognoſcere, cognitosque diſtinctè ad lapidem Lydium vocare, & variis, quibus veritas eruitur, inſtrumentis diſcernere licet: aſt hoc moliri, illud verò prætermittere, ſeu leve habere & non ſatis dignum, in quo præſtantiora ingenia detineantur, hoc nefas ſeculi, hanc juvenilem amentiam eſſe conqueror. Refert ex *Hofmanno* Excellentiſs. *Dorſcheus*, in de Conformatione ſtudii Theologici, Theologiæ Zacharianæ præmiſſo diſcurſu, Magnum illum *Chemnitium* aliquando Theologum quendam adegiſſe, ut de quibusdam vulgatisſimis theſibus rationem ex S. Scriptura redderet; ipſiusque Auctoris verba tranſcribit hæc: *Ibi bonus iſte vir, aliàs doctus nec parum exercitatus, quòd tritisſima illa nunquam audiviſſet in dubium vocari, imparatior à commodis reſponſionibus, monebatur graviter, ut etiam communisſima, de quibus minimè putaret dubitari poſſe, non niſi certo verbo DEI*

probè

probè munita juventuti proponeret, itaq; eam ab opinione, quâ uſitata exciperet, abduceret ad fidem, quâ teneri etiam minutiſſima oporteret, quæ tamen ſine verbo Dei credi non poſſint. Addebat D. Chemnitius, ſe perſæpe in examinibus non indoctorum, quiq; de magnis controverſiis ſatis aptè diſſeruerint, ſummam in ipſis ruditatem animadvertiſſe, ubi de vulgatiſſimis ſolidè reſpondere, itáque ſimplicitatis, quæ filios Dei maximè deceret, ſimpliciſſima fundamenta jacere neceſſe habuerint. Expertus idem noſtro tempore Celeberr. *Calovius*, ut tanto malo, quoad liceret, mederetur, diverſis modis ac vicibus Collegia privatâ ſic tradidit, ut finem iſthanc ſequeretur potiſſimùm: qui ipſe tandem juris etiam publici fecit *Apodixin Articulorum fidei*, theſaurum incomparabilem, ubi è ſolis Scripturæ S. locis non modò confirmatæ, ſed quoque deciſæ theſes controverſæ exhibentur. Quibus utinam auctoritatibus, ſi tam ſanctæ neceſſitati cedere neſciant, vinci ſe patiantur, inconſulta quorum Theologiæ ſtudendi ratio! à demonſtrationibus Biblicis, tanquam ab epulo nimis vulgari abhorret! Ego poſteaquam & alibi & hîc publicâ juſſus auctoritate ſum ſtudiis A-

cademicis conſulere, haud poſtremum ſitum hâc in re momentum eſſe perſvaſus, in id toto animo incubui ſemper, ut qui fidei ſeſe meæ committerent, primam Theologicæ induſtriæ partem negotio iſti unicè neceſſario dicarent. *Itaque* habui, ab initio demandatæ mihi Profesſionis in Almâ Geranâ, binis quotidiè horis bina Collegia; quæ cùm ex deſiderio Dnn. Auditorum adhuc privatos intra parietes proſequar, & verò alii cum iisdem eſſe videantur, qui etiam publicis uti prælectionibus velint, quàm optimè exſpectationi tam piæ reſponſurum me puto, ſi communi bono exercitationes Biblicas inſtituam, nec deſpero ipſos hujus conſilii fructum voluptatemque capturos. Bono cum Deo igitur ad exordium dicti inſtituti cultores SS. literarum omnes ac ſingulos peramanter invito, in Majore Auditorio hora antemeridiana nona capeſſendum. Valete in Domino! P.P. in Univerſ. Erfurtenſi a. M DC IIXC.

PRO-

PROGRAMMA IV.

De EXERCITATIONIBUS DOCIMASTICIS.

DE Miniſtris Eccleſiæ ac Verbi divini publicè conſtituendis ſcribit Apoſtolus 1. Tim. III, 10. *οὗτοι δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν ἀνέγκλητοι ὄντες. Hi probentur priùs, deinde miniſtrent, ſi inculpati exiſtant.* Quid autem δοκιμασία hujusmodi ex iis exigere debeat, præmiſſum his legimus verbis, quòd oporteat eſſe *ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, habentes myſterium fidei in purâ conſcientiâ.* Tria proinde ſpectanda ſunt potisſimum in exploratione iſtiusmodi: primò, an habeant myſterium fidei *orthodoxè* in omnibus articulis? deinde, an habeant *verè* illud ac ſalutariter in purâ conſcientiâ? tertiò, an facultatem ejus *miniſtrandi* idoneam habeant? Plerique infandò Eccleſiæ animarum damno ſibi perſuadent, ſi theſin probare, ſi antitheſin refellere ſciant aliquo modo, requiri nihil ampliùs. Verùm enim verò majus quiddam omninò eſt, habere myſterium fidei in purâ conſcientiâ.

entiâ. Cùm enim ad miniſterium nemo admittendus ſit antè, quàm circa hoc requiſitum, plenè ſpectatum, inculpatus cenſeri poſſit; notitiam Articulorum hiſtoricam nullo modo ſufficere, etiamſi vel exquiſitisſimè ex Scriptura, id quod in primo capite longè maximi momenti eſt, probetur, demonſtretur ac defendatur veritas, ſed peritiam quoque ſalutarem atque uſu ipſo exercitam, absque quâ cætera non niſi fidei mortuæ exanguia quaſi oſſa habenda fuerint, neceſſariò ſimul exquirendam eſſe, quis non intelligit? Atque hoc eſt primarium illud argumentum, quod *Apologia Auguſt. Confeſſ.* contra Scholaſticos Theologos tantopere urget, quos ex defectu internæ experientiæ demonſtrat in tot tantosque errores incidiſſe, ut *veritatem non magis intelligerent, quàm parietes intelligunt vocem, quam reddunt:* quibus aliisque graviſſimis conquerendi generibus teſtantur ſatis Majores, quòd homine Theologo, vivâ fide qui deſtituatur, nec deterius nec periculoſius quidquam ſit. Eadem Apologia noſtra nihil usquam frequentius aut laborioſius inculcat, quàm quòd homo ſenſu

ſenſu veræ pietatis carens ignoret plane, quid ſit, *verè timere DEUM, verè diligere DEUM, verè invocare DEUM, verè ſtatuere, quòd DEUS exaudiat.* Unde non poteſt non fieri, ut ſi quis animarum miſerrimarum curæ præpoſitus, veræ pœnitentiæ ac fidei motûs ſpirituales, proprietates atque progreſſûs non ipſe interiore exercitio uſurpârit, hic in unum ex duobus flagitiis incurrat, vel ſusque deque habens afflictarum mentium curas (ſi non prorſus etiam ut ſuſpectas intueatur) vel certè vix aliquid ſatis digni conſilii & ſolatii, utpote quo penes ſe uſus nondum eſt, ſuppeditaturus. (*) Quod quidem uti ad

(*) Perperam cenſet non nemo, hanc ſententiam propriam fuiſſe Donatiſtarum: in quo erratur vehementer. Quid, quæſo, Donatismi in iis verbis? quid Auguſtanæ Confeſſioni vel Apologiæ haud congruum? Non nego, & Sacramenta & Verbum propter ordinationem & mandatum Chriſti eſſe efficacia, etiamſi per malos exhibeantur: nihil ſanè in dictis meis, quo veritati iſti detrahatur quicquam. Ne ſermo quidem eſt mihi de eo, an Verbum ſit efficax, ſi legitimâ diſpenſatione tradatur; neque hanc omnem nego apud impios Miniſtros reperiri poſſe: ſed in certis ſpiritualibus caſibus vix illam ſatis dignam ipſis competere, af-

ad ipſam adminiſtrandi Verbi functionem pertinet, ita profectò in concionibus ad populum Chriſtianum faciendis multò apparet manifeſtiùs: ubi utiliſſimarum materiarum ex Scripturis tractandarum, niſi Concionator fructum perceperit dudum, ferè exteriorem modò literam attingit, orthodoxiam ſolùm in eo ponens, ut contra Regulam Fidei locutiones & interpretationes nullæ afferantur; ad quam tamen non minùs referendum, ut plenè atque integrè proponatur res quælibet, ſi velimus ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte ſecare ſermonem veritatis. Quemadmodum v. c. *Apologia* docet non ſolummodò, quòd fides in Chriſtum ſola juſtificet, verùm etiam

firmo, propterea quòd præcipua mentium afflictarum vulnera, & quid potiſſimùm iis medeatur, talia non experti negligunt. Quando autem non niſi difficultatem circa adminiſtrationis officium noto, ubi parum fideliter reddita mea germanicè ſunt, quid verius, quid modeſtius ſcribi poterat? Enim verò ita fit hodiè, ut ignorantiâ elenchi, vel acceptione dicti ſecundum quid pro dicto ſimpliciter, optima quæque in deteriorem ſenſum trahantur. Deus meliora!

etiam quid & qualis ſit illa fides, quòdque fides remisſionis peccatorum, quæ verè & ex corde aſſentiatur promisſioni gratiæ, non fiat ſine magno agone in cordibus humanis; item, quòd non modò requiramus bona opera, ſed etiam oſtendamus, quomodo fieri poſſint, neque tantùm quòd neceſſe ſit inchoari legem, verùm & ſubinde magis magisque eam fieri, tum porrò, quomodo ſi quid fit, Deo placeat: ſimiliter *Declaratio*, quòd pia doctrina oſtendat omnis boni fontem, & rationem conſequendi, cum mediis, per quæ Spiritus Sanctus operationes & dona ſua vult inchoare & efficere; moneatque, eadem quomodo conſerventur, confirmentur & augeantur; & hortetur, ut gratiam illam divinam non fruſtrà acceperimus, ſed ut dona illa ſedulò exerceamus, cogitantes, quàm grave ſit peccatum, tales Spiritûs Sancti operationes impedire, aut illis reſiſtere. Talia verò ſi animus haud exercuerit quotidiè, nec, quantopere uſus requirat notitiam *modi, obſtaculorum, remediorum, adjunctorum, ſignorumque internorum*, ſuis periculis edoctus ſit, non vehementer angitur, quid vel quomodo ad ſtatum

fidei

fidei adjuvandum proferre oporteat. Si quæras, unde tanta ſocordia, ſi detur? reſponſio ex ore Pauli in promtu eſt, quòd myſterium fidei non habeatur *in purâ conſcientiâ.* Longè aliter hic egit Apoſtolus, qui admonet *Philippenſes, ut redundent magis magisque in cognitione & in omni ſenſu & experientiâ, ut quæ diſcrepent, dignoſcant;* laudat *Corinthios,* qui in Chriſto ditati in omnibus fuerint, ita ut nihil ipſis deeſſet in ulla gratiâ; *Romanos* autem optabat videre, ut iis ſtabiliendis coràm impertiretur donum ſpirituale, & ita quidem, ut ædificatio ex agnitione fidei & ſuæ & ipſorum invicem exiſteret: *Epheſios* denique ita docuerat, ut nihil ſubtraheret eorum, quæ conducerent, annunciando publicè & domatim, quod per triennium non ceſsârat nocte & die cum lacrymis facere apud unumquemque. Cujusmodi ſolicitudinem ſi in timore Domini conſiderare velint, qui Miniſterio ſunt admovendi, tota mente contremiſcent, dicturi cum *Chryſoſtomo* Homil. XXXIV. in Epiſt. ad Hebræos: *Omnium & ſingulorum, qui curæ tuæ ſunt commiſſi, mulierum, virorum & puerorum tibi reddenda erit ratio, cogita,*

cogita, in quanto verſeris periculo; mirum, ſi ſacerdos ſalvetur. Et Homil. III. in Acta: *Non arbitror inter ſacerdotes multos eſſe, qui fiant ſalvi, ſed longè plures eorum perire puto.* Hæc autem non ita reputare, ſignum animi eſt, qui Chriſti & Pauli & ſanctorum Patrum ſpiritu vacet. *Auguſtinus* in numero Candidatorum Miniſterii vitam agens, etſi verè ad DEUM converſus erat, tamen quò magis creſcebat in pœnitentiâ & fide, tantò agnoſcebat magis ignorantiam ſuam in hoc negotio, ſi, cùm ſe vix dignè obſervaret ipſum, tot animarum ſuſcipienda cura eſſet. Ipſius verba hoc nomine in epiſtolâ ad Epiſcopum Valerium data num. CXLIIX. ſic habent: *Putas me idoneum, quìm ego me meliùs noverim: qui tamen* nec ipſe me nôſſem, niſi experiendo didiciſſem. *Sed dicit fortaſſe Sanctitas tua: vellem ſcire, quid deſit inſtructioni tuæ. Tam multa autem ſunt, ut faciliùs poſſim enumerare quæ habeo, quàm quæ habere deſidero. Audeo enim dicere, ſcire me & plena fide retinere, quid pertineat ad ſalutem noſtram: ſed hoc ipſum quomodo miniſtrem ad ſalutem aliorum, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvifiant?* Quod exemplum Epiſcopi Hipponenſi-

um luculenter ſanè confirmat ex Apoſtoli ſententiâ, Miniſtrorum probationem non debere tantùm verſari in eo, an ſciant myſterium fidei, ſed etiam primariò, an id ipſum habeant verè in purâ conſcientiâ, & quomodo hujus ex uſu illud catecheticè & homileticè adminiſtrare ſciant? Hoc namque in exploratiſſimis habemus, quòd, quò magis quispiam in converſione ac renovatione cordis ſui laboraverit, atque hâc curâ ad inveſtigandam Scripturam applicet omnem animum, eò poſſit diſtinctiùs & accuratiùs cauſas apprehendere Theologicas, mentem Spiritûs Sancti præſentiùs introſpicere, ex eaque *Domini* effata interpretari ſanctiùs, nec non ad uſum transferre ſaluberrimum. Ex quibus Verbi meditationibus verè practicis paulatim quoque enaſcitur judicium in divinis, quatenus in hominem renatum cadit, ſubactum; quale quid in omni ſtudiorum genere haberi admirabile ſolet, in rebus autem ſupra rationem poſitis familiaritatem cum DEI Spiritu ſic oſtendit, profanis ut incredibile videatur. Cæterùm utut Miniſtros gradibus & ſanctificationis & adminiſtrationis differre memine-

minerimus, in uno hoc certè omnes cenſeri debent, ut Fidei myſterium habeant verè ac ſalutariter, hoc eſt, in purâ conſcientiâ. Ad hujusmodi ergò Articulorum Fidei ſanctam peritiam acquirendam, unà cum aſſiduis precibus induſtriam in Scripturis vividè agnoſcendis, tempusque non adeò exiguum requiri, quò & ſpiritualis experientia ſecundum mirificam Dei ſapientiam magis magisque corroboretur, & exploretur conſtantia, nemo negaverit. Et publicis quidem functionibus ut accommodentur, quæ imbiberint fideles animi, Exercitationes antegreſſæ non parum præſtant, cùm, quæ aliquando in officio gerenda ſunt, hæc multò antè meditantur, huc ſe parant, ad hæc ſe omni modo exercent. Itaque nulla ratione defuturus ego partibus meis, *Docimaſticas Exercitationes* tam publicè, quàm privatim, porrò inſtituere bono cum Deo decrevi, & quidem triplices, ſingulis ſeptimanis unamquamque ſemel. In poſterum igitur (I.) die Saturni hor. X. publico examine repetentur *Lectiones Theologicæ*, in quibus Epiſtolam ad Romanos ad dimidium, Libros Symbolicos ad finem ferè perduximus,

dogmatum ex iis Analogiam & ſalutarem fidei uſum recognoſcendo. (II.) Eodem die hor. IV. pomerid. habebitur Examen *Catecheticum* juxta Venerabilis Dn. D. SPENERI Explicationem Doctrinæ Chriſtianæ Germanicam in Catechiſmum minorem. (III.) Die Solis ſeu Dominica finitis omnibus Concionibus hor. IV. Collegium Biblicum ita continuatur, ut in certum Caput Evangeliſtæ Johannis, poſt factam generaliorem quandam enarrationem, tres quatuórve Alumnorum obſervationes ſuas *homileticè* proponant, quæ deinceps uberiore diſcurſu vel emendantur vel adimplentur. Alia Collegia, quæ à Paſchatos Feſto nova *inſtituenda* ſint, circa id temporis ſignificabuntur, annuente DEO O. M. Hic verò, Eccleſiæ ſuæ & Pater & Cuſtos ſanctiſſimus, emittat operarios in meſſem ſuam, & laboribus noſtris benedicat per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM! Amen. P. P. in Acad. Hal. Anno M DC XCII.

PRO-

PROGRAMMA V.

De
EXERCITATIONUM DISPUTATORIARUM UTILITATE ATQUE ABUSU.

PArtium illarum maximè neceſſariarum, quæ ex ſpe in CHRISTO fixâ emanant, primam eſſe in nobismet ipſis juxta Evangelium abdicandis ſitam, etſi, qui omni opere profiteantur, pauci ſunt, nemo tamen non fatetur atque ex ore Domini intelligit. Non dico nunc de judicio tremendo, quod, qui ex oraculo *iſto* ſanctiſſimo fidem cenſere ſuam neglexerint, jam pridem latum, in ſe derivant temerè; ſed ipſa intueor cogitata, dicta, facta, quæ tanquam mali fructus de radice peſſima teſtantur, apud eruditos præſertim, de quibus loquendum hîc eſt, cùm in rebus aliis, tum maximè in diſputandi genere, quo multi Magiſtrum deſerentes mitem & humilem, ad Græcorum mores turpiter recurrunt, contentionis cupidiorum quàm veritatis. Neque verò diſputationum Academicarum, inter Chriſtianos quæ florent, aut uſum carpo, aut finem, ſi idem ſpectetur ab omnibus,

deteſtor. Hic enim cùm in verâ conſiſtat Scripturæ mente & indaganda, & corroboranda in animis, & contra ſecus ſentientes piè defendenda, quid eo excogitari fructuoſius queat? Quod quidem abſque ejusmodi adminiculo æquè præſtari feliciter poſſe, non eſt quod pertinaciter aſſeverem, ipſo Hieronymo, ubi Apoſtolus Titum τὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν jubet, ad Paulinum ſic commentante: *Sancta quippe ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt, & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.* Non reſiſtere autem poterit ſatis ſolidè, niſi pugnet exercitatus quispiam. Extraordinarium factum Euſebius in Chron. l. x. c. 3. memorat de ſancto quodam idiota, qui in Concilio Nicæno acutum Philoſophum elementis fidei ſimpliciſſimis convicit: neque nos mirifica Spiritus S. χαρίσματα ac gratiam determinare audemus, quid fiat communiter, non quid Deus O. M. poſſit aut interdum velit, edocentes. Quæ Lactantius Firmianus l. III. de falſa ſap. c. 1. in contrariam partem afferre videtur pulcerrima, à ſenſu noſtro minimè aliena duco. *Cum ſciam*, ait ille, *maximos quoque oratores à*
cau-

cauſidicis mediocribus ſæpe victos, quòd tanta eſt potentia veritatis, ut ſe ipſam, quamvis in rebus exiguis, ſua claritate defendat: cur hanc ego in maxima cauſa ab ingenioſis quidem ac diſertis viris, ſed tamen falſa dicentibus, oppreſſum iri putem? Ego verò ſi ex Cælio quæram, quid ergò oratoribus opponat cauſidicos, non autem clientes omninò rudes? hoc, credo, reſponſi tulerim, eò quòd nonnulla ſaltem ad cauſam defendendam requiratur dicendi juris notitia. at quantò major, inquam, ad cauſam maximam à tot tantisque hoſtibus vindicandam! Et ſanè uſus comprobat, quòd pia ſimplicitas, ſi *veritatem ſententiarum* ex ipſo Scripturarum fonte fideliter imbiberit, eandem tueri iſthoc fundamento nixa, etiamſi *veritatem connexionum*, ut cum Auguſtino loquar, ſecundum ſcholas perceperit nullam, & auſit nihilominus & pro ſua ſuſtentanda fide poſſit. Ita clara utique & aperta majeſtas Veri exiſtit, à Patre Luminum inoffenſo curſu defluens, *tanquam per ſaxa volutus Purior electro campum petit amnis.* Cæterùm quemadmodum ſolis nec ſplendori nec ardori quidquam detrahit, qui fortè impedierit nimbus, quò minùs utroque mortalibus

frui liceat; licet ad recuperandum hoc beneficium cœli indulgentia opus ſit, quæ *collectasq́ fuget nubes, ſolemq́ reducat:* ſic, tametſi veritas nihil accipit detrimenti, quibuscunque impugnetur artibus, cultorum certè intereſt, ut, quam ſequantur lucem, non tenebris obductam, ſed evolutam prorſus venerentur. Ad quod negotium in omnem partem verſandum, quàm multiplici obſervatione indigeamus, optimè Auguſtinus libris de Doctr. Chriſtiana docet, caſtigatque eos graviter in præfatione, qui talia ſine inſtitutione à Deo ſperare, *inimici verſutiis & perverſitate decepti*, malint. Quaſi verò Dialectica ſeu alia facultas hujusmodi non divinitùs inſtituta, ſed ab humano ingenio ſit, quæ non *niſi animadverſa eſt ab hominibus & notata, ut eam posſint vel diſcere vel docere* ib. l. III. 32. Ut nemini παράδοξον videri debeat, quando idem Hæreticorum Malleus affirmat l. I. adverſus Creſconium, quòd *ipſe Dei filius dialecticè diſputarit*, quòd *Paulus fuerit dialecticus*, quòd *hanc artem, quam Dialecticam vocant, nunquam doctrina Chriſtiana formidet, ſicut eam in Stoicis non formidavit Apoſtolus, quos ſecum volentes conferre non reſpuit*. Prior Auguſtino

ſtino Hieronymus nihil aliud ſentit, *Paulum*, inquiens apol. adverſ. Jovin. *apoſtolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas ejus, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt, & videbitis eum in teſtimoniis, quæ ſumit de veteri teſtamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm disſimulator ejus, quod agit. Videntur quædam verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis ruſticani, & qui nec facere, nec declinare noverit inſidias, ſed quocunque reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne, quod tetigerit: tergum vertit, ut ſuperet, fugam ſimulat, ut occidat.* Atque hunc Apoſtoli, immò ipſius Sancti Spiritûs ductum ſecutos, paulò antè citat *Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem*, adverſus Celſum & Prophyrium differentes; nec non de Latinis *Tertullianum, Cyprianum, Minutium, Victorinum, Lactantium, Hilarium.* De quorum principibus, Origene & Tertulliano, hanc in rem legi etiam atque etiam meretur *Vincentius Lirinenſis*, adverſus profanas novationes. Cur illi cum aliis Patrum compluribus tanti fecerint diſputandi ſolertiam, cauſa in promtu eſt. Nec fas eſt

 dubi-

dubitare, quin ſingulari fato ita acciderit, tot inſultantibus hæreticis, quorum improbitati non modò non cedere, ſed obviam quoque ire Eccleſiam oportebat. Noſtra verò ætas, quæ tantùm non omnes ex orco revocatas primorum ſeculorum hæreſes deplorat, quàm variam errorum multitudinem, quas technarum inſuper hydras debellare cogitur! Sicut enim cor hominis עקוב *fraudulentum præ omnibus*, & אנוש *inſanabili perverſitate affectum eſſe*, Deus ipſe conqueritur, Jer. XVII, 9. ita pectus hoc fœcundum, cui *nomina mille*, *Mille nocendi artes* ſunt propriæ, adverſarius communis, quò minus ſupereſſe temporis novit, eò magis concutit, nullis non acuit dolis, atque ad ferenda venena ſua inſtigat. Quocirca quis Theologorum non ſibi dictum velit, quod Poëta de colubro?

aſſuetus pecori qui aſpergere virus,
Fovit humum. cape ſaxa manu, cape robora paſtor,
Tollentémq; minas & ſibila colla tumentem
Dejice! jamq; fugâ timidum caput abdidit altè,
Cùm medii nexus, extremæq; agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit ſinus ultimus orbes.

Unde autem ſaxa, unde robora? niſi quis prendendi illa ex Scripturis modũ, artemque

que feriendi haud vanam ex uſu tenuerit. H. e. τὸ ἐπιστομίζειν, in quo Paulus non poſtremum Epiſcopi officium monſtrat collocatum. Denique nec ſuo ipſius ingenio, quacunque etiam pietate firmatum videatur, nimium quiſquam credere impune ſolet. *Aſſerendo enim temerè*, (exemplo ſanctiſſimi quique ſint, Origenes, Tertullianus, quin ipſe Hieronymus) *quod ille non ſenſit quem legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi ſententiæ contexere nequeat. Quæ ſi vera & certa eſſe conſentit, illud non posſit verum eſſe quod ſenſerat: fitque in eo, neſcio quomodo, ut amando ſententiam ſuam, Scripturæ incipiat offenſior eſſe, quàm ſibi. Quod malum ſi ſerpere ſiverit, evertitur ex eo*: ceu tradit Auguſtinus l. 1. de Doct. Chriſt. c. 37. Quæ omnia cum aliqui absque diſcrimine tribuerent Dialecticæ, hanc à Sophiſtica diſtinguere obliti, uſum cum abuſu perperam confudêre. Quando namque *ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimum valet diſputationis diſciplina* ib. l. 11,31. procul dubio & illa, quæ partu infelici edit Sophiſtice, ſi mens non læva extiterit, facile explicabit. Plura hac de re proferre, nihil attinet: ad ea, Dilectiſſimi

mi! unde exorſus ſum, redeo. Vos quidem nihil non præclari de exercitatione diſceptandi legitimâ ſentire, ſatis exploratum eſt, cumque ardeatis ultrò, cupiditate quadam mentes inflammare veſtras, ſupervacaneum. Reſtat quod dicere inceperamus, quoniam omne inſtitutum, ſi Chriſtum animo complectimur, per viam, quæ dicitur, *abnegationis*, à pravitate purgandum, nec ullum tam ſanctum aut laudabile fuerit, quod non ſordes religione indignas; vel præter opinionem contrahat; in hoc etiam negotio, priusquam aggrediare, adhibenda conſultatio diligens, quænam iſta ſint, à quibus abhorrere deceat in conflictu iſtiusmodi eruditorum. De cujus rei natura, utpote quæ multorum uſu dictorum vacare nequit, ſi regem ſapientiſſimum conſulamus, reſpondet is Proverb. X, 19. ברב דברים לא יחדל פשע וחושך שפתיו משכיל: *in multitudine verborum non ceſſabit prævaricatio, ſed qui compeſcit labia ſua, intelligens.* Hoc ut accommodemus ad propoſitum, ſecundum Auguſtinum, diſputatorum facilè principem, duabus rebus id maximè cernitur, quarum utraque tantum abeſt à fine, ut nihil magis veritati

tati ſit contrarium. Poſtquam ille loc. ſupra cit. diſputationes ad verum quærendum idoneas commendavit, non poteſt non expertus ſtatim addere: *tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quadam oſtentatio decipiendi adverſarium.* Quæ duo vitia effugere qui volet (omnes autem velle debebunt) cogitabit ſapienter illud Joſephi Scaligeri: *claritatem non dabit Extorta rixis veritas. In jurgiis viciſſe nolle, quem queas, victoria eſt.* Ita is judicat ex honeſti ratione: quid ego dicam de ſtatu, in quo non tanquam *nati,* ſed *renati* nos gerimus? Hîc verò minimè eſt conſentaneum, qui charitate alterum ut ſe ipſum colat, cum eodem improbè & captioſè agere; nec, qui rerum externarum deſpicientiam à Chriſto didicerit, vanæ gloriolæ, aut perturbationi animi ſuccumbere. Unus ὁ λόγος, una veritas, uno hæc animorum ſtudio tractari poteſt ac debet. Pugnandum ultro citroque, aſt doctæ pietatis gladio, offenſione nulla. Sub eodem ambo verſantur jugo, hic promtus in detegendis, ille in tollendis ſcrupulis, ne rectum ſincerumque ignoretur, pro quo utrique omnis ſit contentio neceſſe eſt. Cœleſtis ergò & Chriſtia-

næ

næ eſt indolis, non pendere ab errore pravæ conſuetudinis, quæ immane quiddam & beluarum ſimile molitur; ſed motus cupiditatum omnes cruci ſuffixos relinquere, in iisque comprimendis, divina auxiliante gratiâ, ſervare conſtantiam, veritatem in ore alterius admirari, ſectari ſuo, nusquam incaſſum reluctari, nec ſuo quidquam ingenio, linguæve aut geſtibus permittere, niſi quod Magiſtrum intus dominantem Chriſtum eſſe confirmet. Contrà qui faciunt, non tam iis, qui adverſariorum habentur loco, quàm humanitati, ipſique adeo ſupremo Vindici (Matth. XII, 36.) fœdiſſimè adverſantur. Hoc pacto vos, ô dicata Deo pectora! ut ad ſanctam diſputandi rationem adhortor, ſic à vulgari illa dimicatione deterreo. Hâc igitur prima lege ſancitâ, officium confido, Spiritui Sancto minimè adverſum, veſtræ induſtriæ præſtiturum me utiliſſimum, novas promittens & prælectiones & diſputationes Theologicas, ita in poſterum habendas publicè, (id quod Alma ſecundet Trinitas!) ut theſes certæ una luce explanentur, altera diſputando examinentur. Diem modumq; uberiorem nondum indico, propterea

tereà quòd colloquendum antè cum illis arbitror, qui partim opponendi, partim reſpondendi obire vices deſideraverint. Quamobrem nunc omnes atque ſingulos, qui ſtudiis ſacris apud nos operam navant, proximis diebus me ut convenire velint, peramanter invito; ſive de inſtituto ſuperiori, ſive de aliis Collegiis privatis, ſiquidem priora propediem abſolventur, communicare mecum habeant. Quod reliquum eſt, cavete à ſeculo, valete in Domino! P. P. in Univerſ. Erfurtenſi A. M DC LXXXVIII.

PROGRAMMA VI.

De

RATIONE DISPUTANDI CHRISTIANORUM PROPRIA.

ANnus jam agitur quartus, cùm in Univerſitate Erfurtenſi, poſt alios exantlatos labores publicos in Profeſſione Theologicâ, ad Diſputationum ſingulis ſeptimanis habendarum exercitationem Sanctarum Literarum Cultores Programmate ſolenni invitarem,

quo

Unum, opinor, hoc facilè omnes conceſſerint, quòd diſputatio de rebus ad Fidem ſpectantibus non ex numero ſit eorum, quæ prorſus habentur neceſſaria, ſed ad illa pertineat, quorum & origo & necesſitas ex malis ipſis enaſcitur: qualiter apud Medicos veneni uſus ex da-

queas? Res ſanè indignisſima, & horrenda Chriſtianis auribus! Ergò Academici mores Chriſtianiſmo adverſentur, neceſſe eſt? Statuitur enim, fieri vix poſſe, ut diſputatio inſtituatur, ſi Chriſti & Apoſtolorum præceptiones, extra quas nihil adducimus, obſervari debeant. Nec verò de iſtarum multitudine conqueri fas erat, cùm earum nullam transgredi oporteat in communi vitâ. Si quis autem nôrit ſimplicitatem in Chriſto ſapientiæ veræ non expertem, τὴν ἁπλότητα, in Scripturis tantoperè commendatam; hâc una omnes cæteras comprehendi, atque ex eadem ſponte fluere, experietur. At enim pravas affectuum commotiones, nebulas illas animi ac compedes, quando ex Diſputationibus ſublatas volumus ſecundum Evangelicam doctrinam, nonne hoc ipſo docemus, qui vincti manerent aliàs, verè liberos ſurgere, & qui cœcutirent, apertos oculos uſurpare? Judicium eſto penes lectorem Chriſto deditum, qui nobiſcum precetur, ne juventus ſcandalis tot ac tantis ſuccumbat!

mnis oritur venenoſis, apud Politicos pœna ex flagitiis, apud Philoſophos ex indigentiâ artes. At enim hujusmodi rerum tam periculoſa obſervatur indoles, ut nisi temperantisſimè homines utantur iis, repentè ipſi in longè deteriorem ſtatum ſuâ culpâ incidant, Medicusque in homicidam, Judex in tyrannum, Philoſophus in ſtultum opinione citiùs commutetur. Quod ſanè in Theologicis Diſputationibus non alio fit modo, ſiquidem hæ non niſi ex pravis opinionibus & interpretationibus, Satana infelix lolium ſalutari tritico plerumque aſpergente, ab initio exortæ; quibus porrò optimi quique, ni contentionis filum maturè abrumperent, ex Fidei propugnaculo in διαλογισμῶν h. e. dementiæ (Rom. I.) ambages, luxuriantis rationis temeritate, abducti ſunt: & quidem eò periculoſiùs, quò longiùs divina captum humanum ſuperant. Illuſtre præbent Apoſtolorum Acta c. XV. exemplum Antiochiæ, ubi Paulus & Barnabas in disquiſitionem acerrimam incidebant, cùm aliqui ex Judæâ venientes errorem de Circumciſionis necesſitate Chriſtianis obtrudere conarentur. Aſt optimè factum

ab

ab Eccleſiâ, quòd Spiritum Sanctum audire potiùs, quàm ſeſe iſtiusmodi voraginibus permittere decernerent. Nimirum ſole clarius hîc apparet, quòd ex perversâ Judæorum perſuaſione disſidium extiterit in Eccleſiâ, quæ Apoſtolorum ductu & doctrinâ quietisſimè florebat antè; quòd etiam hi unà cum cæteris ſapienter ex voluntate Dei fecerint, cùm certaminis & ſcandali tollendi cauſâ, licet exploratisſimam tenerent veritatem, ſeſe tamen ultrò Sanctorum Hieroſolymitanorum judicio ſubmiſêre. Videbant quippe, exaſperatos animos jam dudum limites charitatis tranſiliiſſe, neque idcircò veritati ſanctè abſque perturbatione affectuum inquirendæ, nedum diſceptationi veræ ac ſalutari locum ullo modo poſſe relinquere. Quid enim, quæſo, à manſuetudine & humilitate Domini eſt alienius, quàm ſi ipſius Diſcipuli de doctrinâ, fidei & charitatis divinæ magiſtrâ, inter ſe conflictûs vel acerbè vel temerè inſtituant? Nonne ſimillimi illi ſunt Andabatis, quod genus gladiatorum fuiſſe perhibent, qui noctu ſe propè non videntes, interdum oculis clauſis pugnârint? Quò equidem refer-

re in loco videor, quòd Auguſtinus l. II. c. VII. de Doctr. Chriſtiana ſextum ſapientiæ gradum in eo ſtatuat, ſi quis pervenerit usque ad inimici dilectionem: hîc enim *oculum cordis purgari, quo videri Deus posſit*, affirmat ille, ſatis innuens, niſi illibatâ ex fide amoris ſinceritas colatur, animum ad ſpiritualia capienda eſſe ineptiſſimum. Idem ipſum is confirmat egregio hoc apophthegmate: *Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic ſeculo: in quantum autem huic vivunt, non vident.* Atque hujus abnegationis, qua neglectâ omne malum exoritur; aditus primus ibidem collocatur in *Timore DEI*, qui quaſi *clavatis carnibus omnes ſuperbiæ motûs ligno crucis affigat*; quo certè nihil verius aut præclarius dici poterat. Ex quo intelligitur, quemadmodum diſputandi uſus originem trahit ex amentia errantium, nempe rectiùs informandorum; ita ſi quis hâc in re à ſanctitatis ſcopo aberret, vel malitiâ vel negligentiâ, non modò fine excidere illum ſuo, ſed ſecum alios quoque miſerandâ aberratione in libidinem rixandi plusquàm Ethnicam (à quâ Chriſtianam mentem cum pudore abſterrere poterat Julius Cæſar,

Cæſar, *nihil neque tutius eſſe, neque honeſtius,* inquiens, *quàm ab omni contentione abeſſe*) multis aliis cum peccatis abripere; imò verò tales ſuis ratiocinationibus efficere, ut cùm ſapientes videri velint, ſtolidi fiant nihilque veri aſſequentes.

Quòdſi igitur ullâ in re, hîc ſanè limitibus præſcriptis opus fuerit, quos transgredi neminem diſputantium oporteat. Neque verò *in rebus* tantùm, ſed præſertim etiam

Eſt modus in *verbis*, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quò namque minùs domari *lingua* poteſt, *malum* illud *incoërcibile, plena veneni lethalis*, eò difficilius in diſcertationibus ipſis continetur, & fieri ferè aſſolet, quod de eâ *Jacobus* ep. c. III. v. 8. &c. protenus affirmat, ut idem hic fons *dulcem & ſalſam* reddat aquam. Ipſam diſputandi conſuetudinem ſi intueamur, videntur primùm omnia in honorem Dei proximique amorem inſtitui, videtur ex bona converſatione & manſuetudine, quæ forte ſimulatur, opus ſapientiæ verum tractari; ſed nonne mox zelus amarus &

 irri-

irritatio in corde ut plurimum ſe prodit? indicio ſatis manifeſto, quòd qui nihilominus de veritatis ſtudio gloriari velit, adverſus eam mentiatur, nec *ſapientia ſupernè adveniens* illa ſit, verùm *terrena, animalis, dæmoniaca.* Neque hoc nude aſſeverat Jacobus ſapientiſſimus, ſed ex fundamento probat hiſce additis: *Ubi enim zelus & litigatio, ibi tumultuatio & omne opus pravum.* verſ. 16. Ubi enim carnali æmulatione animus commovetur, ibi *turgeſcit*, nihil ampliûs verè ſciens; quoniam in febrim quaſi & paroxyſmum incidit, *νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας*, ægrotantis more delirans circa quæſtiones & pugnas verborum, *ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentia, ſuſpiciones malæ*, exercitationes, jam factæ *παραδιατριβαὶ*, præpoſteræ ac perverſæ, hominum mente corruptorum & veritate dudum privatorum. Sic videlicet Paulus hunc ſtatum deſcribit 1. Timoth. VI, 4. 5. unà conſilium annectens ſuum: *ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων*, ſecede à talibus. Quàm ſanctè autem & ſeriò diſputationes hujusmodì proſcriptas velit ac deteſtetur,' iterum 2. Tim. II, 14. &c. oſtendit, commonefaciens genuinum filium, ut *obteſtetur* ſuos

coram

coram Domino, ne ament λογομαχεῖν, verbis contendere; quod dubium & verſatile diſceptandi genus ibidem vocat βεβήλας κενοφωνίας v. 16. juxta *Eraſmum*, profanas vocum inanitates, item μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις v. 23. ſtultas & nihil ædificationis habentes quæſtiones. Quocirca de effectis & conſequentibus inde malis ſimul teſtatur, quòd contentiones non tantùm ſint inanes atque inutiles, verùm etiam noxiæ, non absque *ſubverſione audientium* v. 14. ad *majorem* procedentes *impietatem*, ſermone tanquam *gangræna* animos loquentium atque auſcultantium *depaſcente* v. 16, 17. & implicante, ſi non in manifeſtos errores, exemplo *Hymenæi & Phileti*, ſaltem in profanos ſenſus, ſæpe etiam in confuſionem atque hæſitationem fidei nocentiſſimam; ipſamque conſuetudinem pugnandi ita affricante, ut Diaboli aſtu ſervus Domini ſenſim evadat pugnax: id quod ſancto miniſterio indignisſimum pronunciatur v. 24.

Tanta verò & veritati & pietati diſcrimina cùm minitetur diſputatio,

(*Ut cùm carceribus ſeſe effudêre quadrigæ,*

Addunt ſe in ſpatia; & fruſtrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas)
ſolicitè diſquirendum ſupereſt, posſitne obſervari quædam ratio, ſub quâ menti atque orationi tam efficax frenum injiciatur, ut neutra carnalibus ſeu argutiis ſeu affectibus in præcipitia ruat? Cum homine quidem irregenito res nobis non eſt, utpote cui Pater mendaciorum hanc etiam virtutis ſpeciem indulgere poterit, ut vel temperantisſimus ipſa in arena appareat, tacite autem plenus ſit faſtu, invidia, blaſphemiis contra Deum, vel impiis opinionibus; *Quibus vinculis habere Diabolum irretitos ſapientes & juſtos coram mundo, cùm in aliis oſtendant ſe craſſiora vitia*, Apolog. A. C. p. 59. ſcitè animadvertit. Quanqnam qui ex impœnitentibus protervitatem in diſputando non disſimulant, qualem impotentiam plerique juvenum eruditorum effutiunt, hi ab iſto genere non aliter diſcrepant, quàm ſepulchrum patens à monumentis non apparentibus, neque cognitis ſuper ipſa ambulanti. Regeniti contrà ut fugiunt prorſus effrenem animum,

mum, ita hoſtis animarum eos tentare partim curioſitate, partim ambitione ſatagit omni occaſione; ut, quò abſtruſiores hujusmodi ſunt inſidiæ, eò majori cum periculo ipſi in hunc campum prodeant. Nec tamen nulla eſt medela, quâ per DEI gratiam ſe tueri mens ſancta queat ab hiſce aſſultibus, modò *finis mandati*, ob eam cauſam tantopere ab Apoſtolo commendatus 1. Tim. I, 5. intimis ſpiritûs medullis ex vivâ fide radicatus ac defixus teneatur: *charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide nonfictâ.* In quibus munimentum verum unicè verſari, idem ſignificat, obſervans quippe cautionis loco v. 6, 7. ab iis ſi diſcedatur, ſequi vaniloquentiam ita abſurdam, ut loquentes οἱ ἐξ ἐριθείας Rom. II, 8. quid velint, ipſi non ſatis capiant; quaſi dicat, unà ſecuros amiſiſſe lucem atque aciem intellectûs entheam, ut totâ nocte quærant fores, ſuique immemores cœcitate ac ſtultitiâ in quævis devia ſeducantur.

Jam verò ſcopus hic trinis requiſitis conſtans, à quibus diſcedentes loco veritatis in vanitatem incurrunt, ſanctâ experientiâ penitus cognoſcatur neceſſe eſt. Hâc enim magiſtra ac duce pateſcit, in

in iis quod ἡ ἄνωθεν σοφία, vera ex alto ſapientia, tanquam proles incunabulis ſuis, tutò comprehendatur. Qua ipſa in re admirabilis *Paulum* inter & *Jacobum* conſenſus à Spiritu Sancto inſtituitur, quando, quæ ille dicto loco ad finem voluntatis divinæ ſpectantia tradidit, hic eodem ferè ordine ſapientiæ numerat proprietates atq; fructûs Jacob. III, 17. Itaq; requiritur primò, ut fides ſedem in *corde* habeat *puro*, velut *caſta* ſapientia, atque ita charitatem pariat. Circa quod epitheton probatisſimus Brochmandus piè commentatur: *Sapientia enim Chriſtiana cœlitus miſſa, ſive ſurgamus, ſive cubitum eamus, auribus noſtris inſonat* hoc Pauli 2. Cor. II, 2. *Deſpondi te uni viro Chriſto, ut te ei ſiſtam virginem caſtam & puram.* Quemadmodum proinde Paulus Corinthiis, ſic renatus ſibi meritò ipſe metuit, ne, ſicuti ſerpens Evam decepit calliditate ſuâ, ita ratiocinandi libidine interni ſenſus corrumpantur à ſimplicitate Chriſto dicatâ. Caſtitas hæc cordis atq; integritas in animo, pœnitentiâ & fide ſolidâ ad Filium Dei adducto, charitatem Patris ex Spiritu CHRISTI percipit, atq; hinc pace fruitur & gaudio in Spiritu Sancto:
quibus-

quibuscum fidei fructibus ſi quis argutæ rationis pruriginem circa res cœleſtes, ambitioſumque voluntatis ductum fovere vellet vel admittere, tentaret hic

- - - pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componere,

ſtatimq; experiretur, theſauro pacis acquiſito induci nebulas, ipſamque, conſenſu integro accedente, caliginem mortis ſpiritualis præſentisſimam. Fidem etenim ſponſo Chriſto datam ne violet anima, ſanè abhorrebit vehementer etiam atque etiam ab iis, quæcunque nihil ad charitatem illam vel augendam vel conſervandam faciunt, ſed eam potiùs diſtractis ſenſibus lædunt eruuntque, licet vel optimâ ſub ſpecie veriſimilitudinis blandiri cœperint. Ipſa verò per regenerationem innata mentis pudicitia tam ſancta eſt, ut, ſi vegeta permanſerit, ex ſua naturâ veras à vanis mediationibus, ceu teſtis oculatus factum à ficto, ſenſim dijudicare diſcat. Effluente porrò charitatis efficacia ex puro corde, ſapientia nihil antiquius habet *conſcientiâ bonâ* erga ſe atque fratrem, absque qua manere caſta nullo modo posſit. Eſt ergò deinceps tota *pacifica*, pacem internam & exter-

nam

nam æquè ac vitam ſupernaturalem æſtimans, nec proferens quidquam ulla ratione, quod ſtatum alterius turbare queat; quin ejus reſponſionem intendit ſuo cum diſcurſu ita benignè connectere, ut ſua & proximi tranquillitas blandè nutriatur: eſt *æqua*, ἐπιεικής, non vanum rigorem in verbis aut λογομαχίας proſequens, non minutisſima errata carpens aut exaggerans, nec in deteriorem partem propenſa, ſed de nexu argumentandi ultrò remittens, ſimulac veritatis declarandæ locus ſit datus, vel deſerens priùs occaſionem pergendi, quàm utriusque damno offendere amicum videri velit: eſt quippe & *obſequioſa*, εὐπειθής, piè credula, quæ non affingere mentem auctori ſtudeat, quam aliter posſit interpretari, nec cupiat inſtare fruſtrà, ſed exorienti luci placidisſime aſſurgat: eſt plena *miſericordiæ & fructuum bonorum*, non invidiam volens, at miſericordiam, præſtans hanc ſincera ex dilectione omnibus, ea etiam in parte, ut auribus tenerrimis parcat, ne quid lædat ingenia in omne mentis & voluntatis vitium flexibilia; illam declinans, neutiquam ſuum, ſed Patris Cœleſtis honorem aliorumque commo-

commoda ſectando: plena *fructuum bonorum*, nullos vel intus alens, vel ore ferens, niſi puritati cordis, & veritati rerum, charitatique erga Deum atque homines aperte inſerviant. Quòd denique hæc omnia *fide non fictâ* nitantur, ſapientia non ſibi ipſa tantùm eſt conſcia, ſed ipſo & opere teſtatum apud Auditores conatur relinquere, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος, ita ſe gerens, ut unusquisque intelligat animum à rixis, calumniis, ſimulatione atque oſtentatione alienisſimum, Deoque unice deditisſimum eſſe, qui non oppugnet veritatem, ſed oppugnantibus quid reſpondendum ſit, exquirat. Hæc data per utrumque Apoſtolum ſapientiæ repræſentatio, hi poſiti à Spiritu Sancto limites ſunt, extra quos non niſi umbra illius evanida prodierit: ſi quis verò intra hos pacem coluerit fideliter, dubium nullum eſt, quin laqueorum in medio fructus ſapientia & juſtitia dignos ſeminare queat.

Non agimus de diſputatione ipſis cum ἀντιλέγουσι nonnunquam inſtituenda, ad quam digne obeundam is demum præſentiam mentis idoneam afferet, qui in ſuprà dictis ſubactos uſu interno exter-

noque

noque ſenſûs per Spiritûs Sancti gratiam adeptus ſit. Nobis jam ſermo tantum eſt de ritu Exerçitationum Academicarum, qvarum ſcopus fuerit non ſpernendus, ut aſſueſcant pii doctique juvenes fundamenta ſpei, quæ intra *ipſos* ſit, promte ac circumſpecte probando tuendoque expedire, ſervatâ veritatis juxta & charitatis conſtantia. At verò more Athletarum, quos cum digladiatoribus ipſi Ethnicorum prudentiores contempſere, pugnam exercere verborum, quid eſt aliud, quàm ἀεροβατεῖν & operam & oleum perdere, ſi loquar humaniſſime? Linguæ ſunt exercitamenta, ad promtitudinem acquirendam accommodata; nemo negat: ſed quæ poteſt eſſe homini ἀλήθειαν JESU CHRISTI experto delectatio, cùm duo ſeſe invicem altercationis æſtu, opponendo unus, alter reſpondendo, confundere elaborant? quis honor, cùm, quò majores victoriæ perſuaſione redierint, eò minores coram Deo exiſtunt? quæ utilitas, cùm pravam litigandi conſuetudinem pro magno theſauro induunt, quam, ſi reſipiſcere ſecundum Evangelium velint, exuere deinceps non ſine maximo pudo-

re

re tenebuntur, cogrituri tum demum veritatem Apoſtolici effati, *ſi quis ſibi videatur aliquid ſcire, hunc nondum quicquam noſſe, ſicut oportet noſſe.* 1. Cor. VIII, 2. Interim miſerrimi ſe ſpoliant gratiæ ac veritatis in Chriſto ornamentis, de tot etiam inanibus verbis & nugis, ni mature inſipientiam iſthanc deplorent, rationem Deo gravisſimam reddituri. Ut ejusmodi diſceptandi genus non alia videatur pugna, quàm cujusmodi ab Auguſtino apud Cæſaream Mauritaniæ diſſuadebatur, ubi cives, propinqui, fratres, parentes ac filii lapidibus inter ſe in duas partes diviſi ſolenniter dimicabant, & quisque, ut quemque poterat, occidebat; quæ immanis conſuetudo longe à majoribus tradita pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel potius posſidebat. Atque utinam, quàm feliciter inveteratum malum de cordibus & moribus iſtorum hominum avulſit ille pepulitque dicendo, pari ſucceſſu hæc pugna civium Academicorum, plus quàm civilis, qua mors ipſa ſpiritualis vel obduratur, vel attrahitur, vel intentatur, prorſus exterminari posſit! De abuſu loquimur, non de uſu rei medicamenti loco adhiben-

bendæ, ex qua ne venenum oriatur, caſtæ illius ſapientiæ methodus apud renatos ſola præſtiterit. Plurimum in eo eſt ſitum, ut diſputaturi de converſionis ſuæ & renovationis ſtatu divina gaudeant certitudine, & hac firmitudine muniti precibus & ſancto ſe propoſito in vera charitate ante omnia devinciant. Si quis tamen invito alteri moleſtias animæ faceſſere non vereatur, Hieronymi ad Nepotianum ſententia locum habebit: *Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem.* Cum quo & his utimur verbis ſub finem ſequentibus: *Nec invehimur in eos, qui peccant, ſed ne peccent, monemus. Neque in illos tantùm, ſed & in nos ipſos ſeveri judices ſumus: volentesq; feſtucam de oculo alterius tollere, noſtram primùm trabem ejicimus.*

Quando igitur nonnulli reperiuntur, qui & hanc Academicam exercitationem deſiderârunt, mentem noſtram de re ambigua declaratam, & non tàm conſtitutis, quàm obſervatis legibus, quas ipſius negotii indoles ſalutaris efflagitat (ne quod ſtudiis doctrinæ Chriſtianæ incrementum debet, impedimentum noſtrâ exiſtat culpa)

pa) nunc Diſputatoriam quoque Diatriben Sanctarum Literarum Cultoribus, Deum vere timentibus, apertam volumus. Deus verò Pater Luminum ſuam mentibus affundat gratiam, ne quis ad diſputandum auſit accingi, qui non dudum victoriam de mundi eruditi vanitatibus ex fide obtinuerit, mentemque habeat viva cognitione Dei illuminatam, ut, ſi multa ignorantia & obſcuritate undique ſe obumbrari, & videre in ænigmate per ſpeculum animadverterit, ipſam tamen gloriam Domini certo & minime fallaci adoptionis ſenſu contempletur, & revelata facie, nullo remorante hallucinationum velamine, libertatem à Spiritu Domini nactus, in eandem imaginem transformetur ex gloria in gloriam.

Quod ſupereſt, poſtquam ſuperiori Programmate de *Exercitationibus Docimaſticis* ſignificavimus, circa Paſchatos ferias indicatum iri, quæ ſemeſtri æſtivo ratio Collegiorum meorum futura ſit, hac opportuna occaſione id ipſum præſtare licet. Cùm proinde publicis Lectionibus in *Epiſtola ad Romanos*, exegetice enarranda & dogmatice enucleanda,

per Dei gratiam novem capita hac hyeme abſolverimus, & in *Hiſtoricis* primùm *Actûs Apoſtolicos*, poſteà ex *Euſebii* Hiſtoria Eccleſiaſtica duos priores libros; in eodem utroque inſtituto pergemus quidem, ſed ne, qui recens advenerint, ſuperiorum Capitum Epiſtolæ, in quibus fundamenta Doctrinæ Chriſtianæ primaria docentur, interpretatione dogmatica ſe deſtitui doleant, horum bono privatim horas peculiares collocabimus, ut totius Syſtematis Apoſtolici fructum & ipſi percipiant. Lectiones privatæ in *Libros Symbolicos* jam tum ad finem perducuntur, quorum notitia tantopere neceſſaria uti operam aſſiduam requirit, ita novum in eosdem *Collegium Examinatorium* ſpondemus, habendum quotidie hora pomeridiana *quintâ*. Præterea induſtriam noſtram privatam in *Collegio Dogmatico Biblico* præcipuè ponemus, ſic ope Spiritûs Sancti inſtituendo, ut omnia & ſingula dogmata juſto tractentur ordine, & ex ipſa Scriptura Sacra non perfunctoriè, ſed dignâ cum ἀκριβείᾳ demonſtrentur, ut indubitatò conſtet, ex quibus locis unumquodque efficaciſſime probari & contra adverſarios defendi poſſit, non ſine exploratio-

ratione ipſius internæ praxeos, quæ totius ſtudii Theologici anima eſt. Quod verò diei tempus huic labori impendendum fuerit, de eo ſub initium *Aprilis* ut familiaris deliberatio ineatur, publice invitabuntur futuri Auditores. *Exercitationes Publicæ Examinatoriæ* die Saturni, & Solis *Homileticæ* ſingulis ſeptimanis habentur, continuabuntúrque bono cum Deo: qui clementer faxit, ut hiſce omnibus verus impetretur finis, nominis Sui gloria, & Eccleſiæ JESU CHRISTI emolumentum! P. P. in Acad. Hal. a. M DC XCII.

PROGRAMMA VII.

De

LAUDIBUS B. JOH. ARNDII.

Ἰωάννης ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων. *Joannes erat lucerna ardens & lucens.* Joh. V. 35. De *Baptiſtâ*, Præcurſore ſuo glorioſo, hæc verba dixiſſe Dominum, teſtatur ejusdem nominis *Evangeliſta*. Tria illa quidem, ſed *triplicis fili* elogio, cujus *Eccleſiaſtes* meminit Eccl IV. 12. longè digniſſima! Lucerna fuit Joannes, non ipſa Lux:

 at

at hæc quò ſublimior, (ſublimius autem nihil) eò major illa, quæ tanquam Aurora Solis adventum annunciabat. Cùm enim *ſpes Iſraelis* dudum lateret craſsis occultata & circumfuſa tenebris, ecce laudatus *Zachariæ* filius, divinitùs inſtar lampadis accenſus, ad ſequendum Chriſtum ac fide ampleɛtendum *Judæis* facem prætulit. Hi inuſitatam Evangelii *lucem*, cum ſanctisſima viri auctoritate conjunctam, mirabantur, hi *ardorem* Spiritûs internum penes eum ſic animadvertebant, ut hoſtis etiam *Herodes* tantam in homine virtutem veneraretur. Marc. VI. 20. Eſt ſanè permagnum, ſi examinemus diligenter ſingularum vocum pondera, quòd ab ipſo DEI Filio non ſine *emphaſi* ὁ λύχνος appellatus ille ſit, & quidem *articulo* novum momentum exprimente ὁ καιόμενος, ultimò καὶ φαίνων dictus; ne quis nimirum, prout lux alioqui in ſenſus primùm incurrit, fulgorem alium, quàm qui ex igne cœleſti inſito naſceretur, intelligeret. Unde quod Divinus Magiſter extollit in *Joanne*, id ſervus ejusdem *Paulus* 2. Tim. III. 5. in aliis deſiderat, quos conqueritur habere (μόρφωσιν εὐσεβείας) inane pietatis ſimulacrum, nec robur animi & vim (δύναμιν αὐτῆς) omnia

omnia in Chriſto ſuperantem, agnoſcere ullo modo.

Dolendum omninò, temporibus quòd noſtris ſicut propria hæc inuratur nota, ut eorum, qui inflammare alios debebant, pauci vix ſpeciem doctrinæ præ ſe ferant *Evangelicæ*, πρόφασιν verò & nomen plurimi; at paucisſimi (ἀληθείᾳ) vero Chriſti ſpiritu exardeſcant. Phil. I. 18. Quanquam infinitæ DEI acceptum referamus oportet clementiæ, quæ *lucernam Iſraelis* nunquam *extingui* prorſus patiatur (2. Sam. XXI. 17.) ex denſisſima caligine, velut Joannem, ita & aliis diebus alia prodire jubens lumina. Neque verò labenti noſtro *huic ſeculo*, quo extremas vires acuere molitur Satanas, præcipuum illud divinæ miſericordiæ genus arbitror defuiſſe. Vixdum unus & alter elapſus annus erat, cùm JOANNES ARNDIUS, velut Cynoſura in cœlo Eccleſiaſtico ardens atque lucens, publicè compareret, edito præſertim libro primo de *Vero Chriſtianismo*: cujus *Theologi* ſive exiſtimationem, quæ ſemper fuit ſanctisſima, ſive ardorem in *pœnitentia & dignis eâ fructibus* commendandis, ſive integritatem vitæ ſpectatisſimam, ſive tolerantiam injuriarum ab

iniquis illatarum conſiderem, idonea cum JOANNE BAPTISTA comparatio in promtu erit. Quid? quòd, quemadmodum ſacerdotes Judaici dubitabant, de *Baptiſtâ* quid reſponderent Chriſto, Marc. XI. 32. 33. ita vivente ac defuncto *Arndio* nonnulli, qui eundem pietatis ſenſum experti nondum fuerant, vel apertè ex malitiâ damnârunt, vel tacitè ex inſcientiâ perſecuti ſunt ejus cauſam: quo pacto hæſitantibus ducum turbis,

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. At enim diſcordia iſta ſic, favente Deo, eſt vindicata, ut nunc omnibus piis illum ſtatuentibus *verè Prophetam fuiſſe*, (Ib. v. 32.) committendæ in ſolem impudentiæ prudentiores malevolorum ipſos pudeat. Ita fortiter ac ſapienter, alieniſſimam ab eo eſſe *Heterodoxiam*, demonſtrârunt *Apologiæ*, quæ publicam Eccleſiæ faciem ſubierunt, virorum de Regno Chriſti præclarè meritorum, *Danielis DILGERI*, *Henrici VARENII*, *Pauli EGARDI* & cujusdam M.B.F.B. Quibus annumerari jure ſuo merentur *Exc. Joh. Georg. DORSCHEI Notæ*, uti & *R. Mich. FREUDII* liber, ſuperiore anno Roſtochii editus, quo quàmplurimæ *Arndium* inter & alios commutatæ

epi-

epiſtolæ, quales in omni hiſtoria ponuntur loco haud poſtremo, tum judicia Theologorum maximè orthodoxorum & teſtimonia, ipſius denique viri optimi contra errores temerè ſibi imputatos ſcripta, comprehenduntur.

Non abs re fuerit, ad propoſitum noſtrum pertinentia quædam inde excerpere, & tecum, Benevole Lector! communicare, præſertim cùm libellus hic poſterior nondum in manibus ſit omnium. Scito igitur, tribus pòſt annis, quàm liber primus de V. Chr. prodierat, celeberrimum GERHARDUM (alterum illum hujus ſeculi JOANNEM, ſimilem diſcipuli, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ὃς καὶ ἀνέπεσεν ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, *quem diligebat JESUS, qui & recubuit ſuper pectus ejus* Joh. XXI. 20.) *Arndium*, ſuum quem in Chriſto Patrem is ſalutat *præf. in Pſalt. Arndianum*, non monuiſſe tantùm, verùm etiam vehementer obſecrâſſe, ut reliquos libellos, *toties expetitos & exoptatos*, ederet. *Non ſolus ego*, inquit, *exſpecto, ſed mecum alii docti & boni, quorum Catalogum benè longum tibi enumerare poſſem. Inter eos primum facilè locum obtinet Cancellarius Altenburgenſis D. Gerſtenbergerus, cui primus ita placet, ut reliquorum etiam*

deſiderio teneatur. Quibus aliisque victus ille precibus, ut ſcribit, humaniſſimis, toties ab ipſo efflagitatos, ſecundum, tertium & quartum, miſit tandem, ſed in privatum modò uſum, ne in publicum progrederentur. Eâdem epiſtolâ multa egregia Noſter accuratè diſſerit de ſenſu, uſu & ſcopo iſtorum librorum, & inter alia hæc illorum argumenta commemorat: *Prior ad interiorem hominem viam ſternit & patefacit: Secundus ad eundem propius deducit, ad guſtum nempe rerum ſpiritualium per Crucis tolerantiam: Tertius totum hominis intrò convertit, & in ſe ipſum introducit, regnumque DEI intus latere demonſtrat: Quartus per Macrocoſmum & Naturæ librum DEUM auctorem & conditorem naturæ pectoribus humanis intimè inſinuat.* Poſteaquam autem GERHARDI auctoritate factum, ut publicè totum opus extaret, incredibiles motæ paſſim controverſiæ ſunt ab iis, qui Chriſtum non ſaperent, ut idem Theologus hac de re deinceps ad eundem ſcripſerit: *Nimirum hanc mercedem à mundo reportamus noſtris laboribus.* Enimverò ut deteriores, ita nec probi defuêre interpretes, in quibus familiam ducunt Theologi magni nominis in Orthodoxa Eccle-

Eccleſiâ, WOLFGANGUS FRANZIUS, Profeſſor Wittebergenſis, & BALTHASAR MENZERUS, Gieſſenſis, ut pote quorum ſuperſunt epiſtolæ, quibus mirificè de exquiſitis interpretationibus Arndianis lætantur, à *Michaele WALTHERO, Arndii* Succeſſore, etiam ſummopere laudatis. Accedunt Venerandorum *Collegiorum* Theologicorum judicia, *Wittebergenſium, Jenenſium.* Accedit eodem teſtis locuples *Chriſtophorus SCHLEUPNERUS*, Superintendens id temporis *Mansfeld.* poſteà in ſuperiori *Marchion. Brandeb.* (ſepulcrum ejus cum epitaphio in Æde *Prædicatorum* noſtra Erfurtenſi viſitur) qui ſcribit *Harmon. Vet. Teſtam. Part. I. l. 4. c. ult.* quòd aliquibus à Venerabili Protoſynedrio Dresdenſi Cenſuram flagitantibus, cùm deſiderium iſthoc adverſus divinos de V. Chriſt. libros maligno ex animo profectum appareret, Theologus omnium judicio ſummus, POLYCARPUS LYSERUS, datum Reſponſum verbis non obſcurè objurgantibus his finierit: **In Summa / das Buch iſt gut / wann nur der Leſer gut iſt.** i.e. *Quid multa? in hoc libro nihil deſideratur, niſi lector haud improbus.* Id quod Joh. *SAUBERTUS*, Eccleſi-

aſt. Norib. meritisſ. ſuâ cum approbatione confirmat. Poſt beatisſimi Viri obitũ ſcriptum eſt demum contra Verum Chriſtianismum, ſed iis artibus, ut contra veritatem aſſolet, quarum prima: *dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* Et verò cùm *duobus modis, aut vi, aut fraude, fiat injuria, ac licet utrumq; alienisſimum ab homine ſit, tamen fraus odio digna majore*, uti præclarè in pudorem Chriſtianorum inquit *Cicero* Offic. l, 1. heic quidem, tot ſcriptorum *Apologeticorum*, quæ ab agente inter vivos edita cæteris Theologis cumulatè ſatisfecerant, auctoritate poſthabitâ, utraque eſt ratio incuſationibus atque inſidiis Sophiſticis tentata, ut Virum Dei in invidiam falſo crimine adducerent: aſt Deus, qui ex tenebris luci novam affundit gratiam, eo ipſo palmam *Arndii* immortalem inter mortales illuſtriorem facere, ejusque ſinceris propugnatoribus, qui victâ vi & detectis fallaciis ante ora omnium adhuc triumphant, ejusdem obtinendæ occaſionem permittere conſtituerat. Dictarum Apologiarum epitomen deſiderantibus edit. *Franc*. A. 1686. vel *Rigenſis* A. 1679. uſum præbebit accommodatisſimum.

Quando ergò ita accidit per DEI gratiam,

am, ut libri illi IV. de Vero Chriſtianiſmo à minimis maximis probati atq; adamati ſemper ſint, nec impiorum cœtus, qui multa ex ſuſpicione, ex veritate nihil æſtimat, quidquam *Heterodoxias*, quam vel error voluit affingere, vel invidia conflare, in huncusque diem tueri poſſit, quin fucus detrahatur facillimè; familiaris eorundem lectio, ſtruentibus fundatiſſimum Theologiæ habitum non minùs, quàm, quod cuique primum eſſe oportet, de ſolâ pietate ſolicitis (haud ſcio an magis etiam, ſi inſtituatur ſimul accurata) profuerit. Quod quidem ipſe non celavit Auctor, Sereniſſ. *Auguſto* Juniori Duc. Br. & Lun. ita reſpondens: *Finis & ſcopus meorum librorum talis eſt: I. Volui mentes ſtudioſorum & concionatorum avocare à Theologia nimis diſputatrice, quæ in ſcholaſticam penè abiit. II. Animus fuit, populum Chriſtianum avocare à fide mortua, & reducere ad fructificantem. III. A nuda ſcientia & theoria, ad praxin fidei & pietatis. IV. Oſtendere, quid ſit vita verè Chriſtiana, fidei vera conſona; & quid ſit illud Apoſtolicum:* Gal. II. 20. *Vivo jam non Ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Ec quisnam fuerit Theologorum, qui talia improbare auſit, Theologiam reputans diſciplinam habe-

haberi practicam? quam qui diſputando exhaurire ſatagunt, *lucem* ejus quidem venantur in Mundo, *ardorem* verò Johanniticum, tantopere à Domino commendatum, in hac ſola ſi inſiſtatur viâ, aſſequi quenquam poſſe, experientia tot ſeculorum uſu edocta negat. Hinc illæ lacrymæ, illæ querelæ de *Orthodoxias* periculo, ſi quis ſecundum ipſam Scripturam & Spiritum, quæ per *viam, veritatem ac vitam* in Chriſto expertus ſit, coram Eccleſiâ teſtetur, veluti *Arndius* noſter! de quo longè aliter judicare doctos, qui doctrinam ſanctitate colluſtrârunt, aliter contrà doctorum quosdam, qui iſta, quæ *Spiritûs* ſunt, apud animum experiri gravantur, mirum idcircò non eſt. Itaque apud eos commiſerationem hi quidem merentur, ζῆλον ἀ'ζῆλον exercentes; nulli verò iram Dei effugient, quippe cujus ſpiritum in ſe non admittunt, in alio perſequuntur. Quæ cum ita ſint, rectiùs de primo ſeculi noſtri *Joanne* ſentiatis velim, *Auditores mei!* quem quotidiè vobis prælego, cujus genuinum ſenſum enucleo, exemplum ac vivam methodum inculco. Ὀυ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ ἐυαγγέλιον τοῦ χριστοῦ. Rom. I. 16. Vos memineritis, quâ ſolicitudine illum ſecundum

Locos noſtros Theologicos examinare ſoleam, horumque in ipſo ductum frequentem velut in ſpeculo commonſtrare, præſertim ex ipſa dogmatum praxi, quæ, ut ibi ex inſtituto proponitur, peculiaria doctrinarum momenta recludit ſæpe atque expandit: ut equidem non dubitem fore, qui ex inſtitutione iſtiusmodi, modò ſequantur eam fideliter, in utrâque Theologiæ parte, tam *dogmaticâ* quàm *practicâ*, non *lucem* modò, verum etiam *ardorem*, Joannitici æmulum, Spiritûs Sancti ope conceperint, nunquam reſtinguendum. Quemadmodum enim cum diluculo ſenſim res omnes multò præſentiùs exhibentur, quàm noctu, cætera notiſſimæ (2.Pet. I. 19.) ſeu peregrinanti urbes ac provinciæ pleniorem conceptum ingerunt, quàm anteà nondum frequentatæ; ſeu in ſomniis, ſi quando ægrotantes potui inhiant, ſitis non ſedatur, ſed auctam potiùs excitati illi ſentiunt: ſimiliter experti nôrunt, quantâ caligine laboret intellectus, niſi viva in animo naſcatur experientia. Hoc autem qui admiratur aut negat, is ſe, quæ vera ſit rerum divinarum cognitio, neſcire fatetur. Neque verò vel ego à dicto, quod vobiscum mihi eſt, negotio privato,

vato, vel ab illa vos mente deſiſtetis: exiguum nobis enim vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum Pater Cœleſtis deſtinavit gloriæ, ſi (τὸν λύχνον τὸν καιόμενον καὶ φαίνοντα) *lucernam Joannis & ardentem & lucentem* conſtanter imitemur. Nequid autem hâc in re deſiderio deeſſe veſtro patiar, nunc *Animadverſiones* meas, quas calamo excipere temporis causâ non potuiſtis, denuò vobis, & quidem lectionum publicarum loco *ad diſputandum*, auxiliante DEI numine, proponam; in id potiſſimùm incumbentes, ut, quantum vivida ejusmodi praxis, quam libri Arndiani circa pleroſque *Fidei Articulos* tradunt, ad ipſam eorum intelligentiam, ex uſu interno diſtinctiſſimâ accuratione firmandam augendamque, Spiritûs S. præſidio conferat, nemo non exploratione ſecum inſtituta poſſit animadvertere. *Auguſtanæ Confesſionis Articuli*, quos ſingulis ſeptimanis, partim prælegendo, partim diſputando, publicè enarravimus, ad finem propè ſunt perducti, ut propediem inſtitutum illud novum aggredi bono cum DEO liceat. Veſtræ pietatis erit, quomodo & hâc & aliis in rebus opera noſtra futura vobis ſit commodior,

dior, etiam atque etiam mihi ſignificare. Quod ſupereſt, cavete à Seculo, valere in Domino! P. P. in Univ. Erfurt. A. M DC LXXXIX.

PROGRAMMA VIII.
De
PARTIBUS STUDII HOMILETICI.

TRactamus illud Sacrarum Literarum genus, quod futuro Verbi Miniſtro eſt proprium: cujus facultas doctrinam ſæpe ſummam non commendat modò, ſed interdum quoque ſuperat; cui gratia divina eſt præſentisſima, quodque Filius ipſe DEI, *ὁ σκηνώσας ἐν ἡμῖν, ὡς ἐξουσίαν ἔχων* exercuit; à quo denique omnis Chriſtianorum ſalus pendet, menteſque DEO deditæ flectuntur, atque ut Poëtæ verbis, naturæ vim deſignantibus, de gratiâ utar,

Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt.

Homileticum iſtud eſt ſtudium, cujus in exerci-

exercitatione usque huc verſati mecum, aliique ne propoſiti noſtri rationem ignorent, paucis hanc declarandam puto. Cùm verò ante omnia ſpectandæ ſint partes, quas ſatis cognitas finis ſequatur ſuus; & hic quidem nobis haud alius commendetur, quàm Chriſtiani populi ad fidem vitámque nomine ſuo dignam è S. Scriptura informatio: illæ ſunt potiſſimùm, cœleſtis Verbi interpretatio, ejusdemque ad uſum ſalutarem accommodatio & docens & movens. Itaq; duo hæc Evangelici Oratoris officia quò pleniùs aſſequemur, eò rectiùs inſtituto conſultum erit noſtro.

Cæterùm quibus rebus debeat eſſe inſtructus, qui cujusvis enarrationem textûs, ſive brevis ſeu prolixior, ſive Propheticus ſeu Apoſtolicus, ſive hiſtoricus ſeu dogmaticus ille ſit, dignè expedire, atque efficaciter applicare ad auditores intendat, in eo curam ponamus omnem neceſſe eſt. Audiamus B. D. *Hierónymum Wellerum*, Præfat. in Explicat. Epiſt. & Evang. Domin. *Oſtendi, inquit, in his meis annotationibus, duas eſſe rationes ſeu modos concionandi, quibus & Doctor Lutherus uſus eſt. Una, quam licet vocare* ἀνθολογικὴν, *cùm inſignes quosdam ſeu præcipuos locos ex ali-*

quo

quo Evangelio excerpimus, eosque accuratè ac ordine tractamus. Atque hoc nemo feliciter ac dextrè facere poteſt, niſi qui in illo declamatorio genere ſe probè exercuerit. Alteram rationem concionandi rectè ἐξηγητικὴν vocamus, cùm textum Evangelii ordine explicamus, & verborum pondera ac ἐμφάσεις diligenter perpendimus. Quam quidem tractationem ſeu rationem, eruditiores Theologi magis probant. Majorem enim ſcientiam ſacrarum literarum ac experientiam hic modus concionandi requirit. Ille verò alter ῥητορικὸς majus ferè acumen ingenii flagitat. Poteſt autem is, qui διδασκαλικῷ genere utitur, hoc eſt, qui textum Evangelii ordine enarrat, crebras facere digreſſiones, modò ut commodæ ac ſcitæ ſint, nec nimis prolixæ, & mox ad textum redeat. Atque in ea re Lutherus mirus fuit artifex, in quem novitii concionatores tota mente & animo intueantur. Sed ut ſæpe auditores meos monere ſoleo, in hoc ferè ſita ſunt omnia, ut textum Scripturæ ſæpius legant, ac relegant, verborumq; pondera diligenter expendant. Hoc enim præceptum mihi olim dedit D. Lutherus, cùm primùm ad S. Theologiam applicuiſſem animum. Hæc res, inquit, me fecit Theologum. Neque notatu indigna ſunt ibidem ſequentia: *Et illud in meis commentationibus oſtendere volui: Doctorem Eccleſiæ*

ita debere ſuas conciones formare, ut terrorem ſecuris injiciat, afflictos verò erigat & conſoletur. Concionator ſuggeſtum conſcendens, cogitet duo genera auditorum ſe habere. Quorum alii ſunt homines ſecuri ac impœnitentes, quorum corda quovis adamante ſunt duriora: illis ſeveriſſimæ comminationes & horribilia exempla viæ DEI probè inculcet & acuat. Alii verò ſunt afflicti ac tentati, quorum mentes ſunt pavidæ ac teneræ, & quovis oleo molliores: qui dulciſſimis conſolationibus Evangelii confirmandi ſunt. Item cogitet ſe habere ſpectatores Chriſtum, Angelos & Dæmones; quorum alteri ſua doctrina delectantur, alteri verò fremunt ac frendunt. Nec diffitendum idcircò, præcepta Rhetorica inſigne momentum, uti ad omnem, ita quoque ad Eccleſiaſticæ eloquentiæ facultatem conferre poſſe; modò non meris verbis, aut rebus alienis defungatur oratio, ſed tractandi atque amplificandi modos petierit ex iis, quæ ad res, perſonas, ac facta ſacrarum literarum pertinent, illosque adhibeat caſtè prudenterque. Id conati nempe ſumus habitis Collegiis privatis oſtendere, tam exemplis Scripturæ & Patrum, quàm methodo certa, ſecundum quam concluſiones ſacræ enthy-

enthymematibus convenientibus firmandæ ſint. Nec tantùm ipſis argumenta nervis intendere docuimus, verùm etiam moribus atque affectibus communire. Orator enim, qui probitatem, qui prudentiam, qui auditorum fiduciam perdit, eo ipſo perdit omnia. Affectus autem, per Spiritûs Sancti gratiam excitati, finem ſic obtinent, ut ſancti officii ſui fructum præſentem capiat Eccleſiaſtes: nam *laus concionantium*, inquit Hieronymus, *in lacrymis auditorum ſita eſt*. Plurimam in primis operam poſuimus in monſtrando elaborationis Homileticæ exercitio, quibus hîc illicve procedendum obſervationibus, quomodo partes partiumque partes digerendæ, quid & ſelectus verborum ac varietas in eloquendo valeat, quantam denique non ſimulata, ſed ex vivo animi ſenſu profecta actio, dignitatem præ ſe ferat.

Et verò quò facilius fuerit, in iis omnibus luxuriam quandam aſſequi, eò periculoſius ſanè eſt hoc ipſum, & *ædificationi* adverſum, quàm quod maximè. Sanctus *Cyprianus* ep. 2. ad Donatum, *in judiciis*, ait, *in concione pro roſtris opulenta facundia volubili ambitione jactetur: cùm de Domi-*

no Deo vox eſt, vocis pura ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei fundamenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia: accipe, quod ſentitur, antequam diſcitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiæ maturantis hauritur. Quid hinc manifeſtius, quàm quicquid artificii nôrit Eccleſiæ Miniſter, caſtisſimè uſurpandum eſſe, ne verba, at res divinæ dominentur? Cujusmodi quidem concionandi modus à nullis aliis contemnitur, quàm malè doctis hominibus, qui & ipſos auctores ſacros propterea faſtidiunt, *non quia non habent, ſed quia non oſtentant, quam nimis iſti diligunt eloquentiam:* quæ verba ſunt *Auguſtini. De Veterum concionibus* legatur prolixè diſſertatio Dn. D. *Joach. Hildebrandi.* neque aliam ſententiam, de ordine methodi Homileticæ, quàm optimè ac breviter effatur *B. Wolffgangus Franzius*, unà cum Wellero & Luthero animadvertens, *ſemper ſolicitè prius circumſpiciendum de paraphraſi, deq; genuinâ mente ſacrorum textuum; non de locis communibus, aut de doctrinis: has enim ex*

para-

paraphraſi ſponte magno numero fluere. Quâ ipſâ ratione cùm temperari ſoleat ingenii luxuries, ſi preces accedant in ſpiritu & veritate; expertus idem B. Auguſtinus, quòd *ſapienter dicat homo tantò magis vel minùs, quantò in Scripturis Sanctis magis minusve profecerit*, in Libris IV. *de Doct. Chriſtiana*, ubi iſthæc obſervat, ante omnia id agit, ut & *rerum & ſignorum* ſive verborum tractatione commonſtret viam, quâ verſari oporteat circa omne Scripturarum ſacrarum genus. Quamobrem injuriam, neſcio, majorémne eſſem illi, an nobis, facturus, ſi theſaurum iſtum Antiquitatis incomparabilem, quem Pandectas Homileticas jure ac meritò dixeris, non maximopere commendatum vellem. Quod itaque Deus O. M. ſuâ gratiâ ſecundet, *Prælectiones* indico *Publicas* in Libros quatuor AUGUSTINI de Doctrinâ Chriſtianâ, ad praxin atque uſum omni ſolicitudine accommodandos. Initium fiet craſtinâ horâ IX. P. P. in Acad. Kilon. a. MDCLXXXIV.

Programma IX.

De PASCHATIS ANTIQVITATIBUS.

Nomine Acad. Elect. Fridericianæ.

VEteres Chriſtiani geminum Paſcha nuncupârunt, unum σαυρώσιμον, quo crucis & mortis Domini memoriam colebant; alterum ἀνασάσιμον, quo tranſitum ex morte in vitam, ſeu reſurrectionem Chriſti, ſanctè proſequebantur. Illuſtratur hæc *Antiquitatis* obſervatio ab *Auguſtino*, tract. LV. in *Johannem* ſic commentante: *Paſcha, Fratres, non, ſicut quidam exiſtimant, Græcum nomen eſt, ſed Hebræum. Oportuniſſimè tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati Græcè πάσχειν dicitur, ideò Paſcha paſſio putata eſt; velut hoc nomen à paſſione ſit appellatum. In ſuâ vero linguâ, hoc eſt, in Hebræa, Paſcha tranſitus dicitur.* Dicebantur autem ipſi ſex dies, qui *Dominicam Palmarum* inſeqvuntur, *dies Paſchæ*, quibus jejunabant, utentes nullo alio cibo, quàm pane, ſale atque oleribus, & aquâ in potum, preces fundebant cum lacrymis, peccata ſua & Domini

nini multiplicem ærumnam reminiſcentes, vigiliasque & eleemoſynas atque alia pœnitentiæ documenta frequentabant. Potiſſimùm verò magnæ hujus hebdomadis binæ feriæ, *quinta* & *ſexta*, prioris illius Paſchatos appellationem videbantur ſuo jure quodammodo vendicare: propterea quòd iſtâ Dominus Paſcha myſticum celebravit cum diſcipulis, ſimulque Sacramentum corporis & ſanguinis ſui inſtituit; & hâc, quæ *Paraſceve* à præparando nominabatur, ipſe tanquam verus agnus paſchalis patiendo ac moriendo ſacrificatus pro nobis eſt; de quâ memoratu digna ſunt verba Concilii Toletani IV. *Quia totum eundem diem univerſalis Eccleſia propter paſſionem Domini in mœrore & abſtinentia peragit, quicunq; in eo jejunium præter parvulos, ſenes, languidos, ante peractas indulgentiæ preces ſolverit, à paſchali gaudio depellatur; nec in eo Sacramentum corporis & ſanguinis Domini percipiat, qui diem paſſionis ejus per abſtinentiam non honorat.*

Cæterùm paſchale iſthoc gaudium Novi Teſtamenti, quod ſolum nunc Paſcha vocitamus, quo tempore ineundum publicè eſſet, in litis materiam, ut optima

ma quæque, pertraxit Satanas circa *tertium* à Chriſto nato *ſeculum*, per quod integrum agitata eſt hæc controverſia; *Eccleſiis Aſiæ, vetuſtâ quadam traditione nixis, quarta decima lunâ ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum cenſentibus, quo die præſcriptum erat Judæis, ut agnum immolarent: eaque omninò lunâ in quemcunque demum diem ſeptimanæ incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe: reliquis contrà totius orbis Eccleſiis alio more utentibus, qui ex Apoſtolorum traditione profectus etiamnum ſervatur, ut ſcilicet non alio, quàm Reſurrectionis Dominicæ die jejunia ſolvi liceat;* ſcribente ſic *Euſebio* Hiſt. Eccl. l. v. c. xxiii. Etſi enim & ante illa tempora in hoc ritu diverſa ratio obtinuerat, *Aſiaticis* Johannis Apoſtoli & Philippi Evangeliſtæ; *Occidentalibus* verò Petri & Pauli auctoritatem præferentibus: tantum abeſt tamen, ut læſa hoc ipſo concordia fuerit, ut primùm ne animadverterint quidem eam diſcrepantiam. Quæ verò lex circa *ſeculi ſecundi* medium à *Pio* erat facta, ne Paſcha alio, quàm Dominico die ageretur, nequaquam prohibebat, quò minus poſt eum *Anicetus* Aſiaticos toleraret. Cùm namque hic *Polycarpo*, qui Romam venerat, perſua-

perſuadere non poſſet, ut morem mutaret Judaicum, nec ipſe ad deſerendam ſententiam ſuam ſe adduci pateretur, ita nihilominus charitati ſtuduit uterque, ut ſtatim conveniret inter eos, ne de hoc capite quicquam inter ſe contenderent, ſed *communicarent* potiùs invicem; ut Anicetus quoq; Euchariſtiæ adminiſtrandæ munus Polycarpo deferret, ipſæque Occidentales & Orientales Eccleſiæ, eo cum pace dimiſſo, incorruptam ſervarent communionem. Quæ quidem res æterno monumento eſt, quantopere ſtatûs Eccleſiaſtici interſit, de rebus ad ſalutem haud neceſſariis, ad ceremonias autem externas pertinentibus, nihil decernere duriùs, ſed unitatem omni tolerantia cuſtodire. Ita *Lugdunenſis Irenæus*, quem *Euſebius* ibid. c. XXIV. *nomini ſuo verè reſpondentem, nec ſolo nomine, ſed etiam vitæ inſtituto pacificum dicit*, duûmvirorum illorum pro Eccleſiarum pace allegavit exemplum, de quæſtione propoſitâ literas mittens ad multos Antiſtites, ipſumque Romanæ urbis *Victorem*, qui omnes *Aſiæ* vicinarumque Provinciarum Eccleſias hanc ob cauſam à communione abſcindere audebat. Ex quo Victoris in-

conſulto zelo disſidium infelicisſimum enatum eſt; præſertim cùm tantâ vehementiâ non efficeret, ut à ritu conſueto deſiſterent Aſiani. Diu etenim duravit exorta diſcordia, donec *ſeculo quarto* in Concilio *Niceno* communi omnium ſententiâ factum, ut tota ſub imperio Romano Eccleſia, tam in Oriente quàm Occidente, diem Dominicum Paſchali feſto ſacrum reciperet; magnum afferente pondus auctoritate Auguſti Imperatoris *Conſtantini*, qui ſua & gravitate & clementia reliquos Epiſcopos, Synodo qui non interfuerant, facilè permovebat, ſcribens ad eos Epiſtolam humili charitate, prudentiâ & pietate plenisſimam: cujus apud *Theodoritum* Hiſt. Eccl. l. 1. c. X. tractatio hujus thematis ſic incipit: *Quid pulchrius, quid honeſtius nobis eſſe posſit, quàm ut hæc feſtivitas, à quâ ſpem immortalitatis accepimus, unô eodemque ordine & certâ ratione ab omnibus inoffenſè obſervetur?* Intelligitis hinc, *Cives Academici*, quô conatu hoſtis Chriſtiani nominis ab initio molitus ſit pacem tollere circa memoriam *Reſurrectionis Domini*, quam æternæ pacis fundamentum Eccleſia agnoſcit. Videte idcircò etiam atque etiam, ut

ut eo ſanctiùs & quietiùs tantorum beneficiorum divinorum fructûs meditemini.

Magnum ſanè piæ religionis ardorem oſtendebat primæva Chriſtianorum ætas, ut ſemper decentisſimum, ita ſolennem maximè his diebus. Nihil celebrius in Antiquitate *paſchalibus vigiliis*, quarum mentionem facit ſingularem *Hieronymus* in ea verba Matthæi XXV, 9. *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Subitò*, inquit ille, *quaſi intempeſtâ nocte & ſecuris omnibus, quando gravisſimus ſopor eſt, per Angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinum, Chriſti reſonabit adventus. Dicamus aliquid, quod forſitan lectori utile ſit. Traditio Judæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptii temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & Dominus ſuper tabernaculum tranſiit, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecrati ſunt. Unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti. Et poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumta, feſtum cunctis agentibus diem.* Tametſi ergò negari nequit,

quit, noctem Paſchalem *pervigilio* celebrantes una cogitâſſe de adventu Regis ac Dei noſtri JEſu Chriſti, ut *Lactantius* loquitur l. VII. c. XIX. altera tamen cauſa, eodem teſte, hujus pernoctationis fuit propria, quòd in eâ nocte vitam receperit Dominus, cùm paſſus eſt. Neque verò aliud declarabant nocturnis luminibus, quorum ſplendor lucem diurnam æmulari videbatur, quàm amorem erga Reſurrectionem Domini ſanctisſimum, certamque ſpem Reſurrectionis noſtrûm conſecuturæ. Primorum certè *fidelium* ea mens fuit, Chriſto ſummopere devota, ut, diuturnâ abſtinentiâ tantùm non confecti, ipſam adhuc noctem, quæ Dominicam Reſurrectionem quotannis refert, vigilantes precibus atque hymnis tranſegerint: quanquam, uti ferè fit, propter abuſum mutatione poſtmodùm opus erat, quâ, quæ fuerant vigiliæ noctu inſtitutæ, convertebantur in jejunium pridie *Feſti* obſervandum. At enim hujusmodi curâ ſi præparârunt illi animum, ad hilaritatem Evangelio dignam capiendam ex *Paſchate*, hujus equidem cultum ſecutum eſſe oportet incredibilem. Tam præclara antiquæ fidei teſti-

teſtimonia id ſaltem evincunt, quòd applicare nos totos debeamus ad miſerationes DEI gratô pectore venerandas. Unus idemque dux & autor, qui eos officium illud docuit, nos invitat *Coloſſ.* III, 1. *Quòd ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens.* Audiamus circa hæc concionantem *Chryſoſtomum* Homil. XIV. ad popul. *Antiochenum: Qui aſcendit in altum, non ampliùs ullam rerum admirabitur humanarum, ſed ſicut, poſtquam in montium verticem aſcenderimus, parva nobis & urbs & mœnia eſſe videntur, & formicarum more nobis viri ſuper terram ire videntur: ſic poſtquam ad celſam Philoſophiæ* (ſacrarum, putat, literarum) *cogitationem aſcenderis, nihil terrenorum te percellere poterit, ſed parva videbuntur omnia, & divitiæ & gloria, & potentia, & honor, & ſi quid aliud hujusmodi, cùm cœleſtia reſpicias: ſicut ſcilicet & Paulo parva omnia videbantur & mortuis inutiliora, quæ in præſenti vitâ ſunt ſplendida. Propterea & clamabat dicens: Mihi mundus crucifixus eſt: propterea & nos admonet, dicens: quæ ſurſum ſunt, ſapite. Quæ ſurſum ſunt, qualia dicit, dic mihi? ubi ſol, ubi luna? non, inquit: ſed ubi? ubi Angeli, ubi archangeli, ubi Cherubim & Seraphim? non,*

in-

inquit: ſed ubi? ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Hanc vocem & vos ſequimini, ô *Cives!* ſpretisque hujus ſeculi voluptatibus, quæ adverſus animam pugnant, verum *Paſcha* & *tranſitum* ad æternas illas in Chriſto exigite. P. P. Fer. Paſch. in Academ. Elect. Fridericianâ. A. MDCXCV.

Programma X.

De
Festivitate Penteco-
stali,

nom. Univers. Fridericianæ.

COmpletur hujus anni *Pentecoſte*, Cives Academici! Ab antiquis enim, & Græcis & Latinis Eccleſiæ Scriptoribus, hoc nomine inſignitur, non modò ipſe quinquageſimus à Paſchali dies, ſed paſſim totus etiam ſignificatur quinquaginta illorum, ſeu hebdomadum ſeptem decurſus, qui dicebatur *Quinquageſima.* Atque hoc ſpatio feſtivitas jugis & continua erat, lucesque ſingulæ habebantur Dominicæ, ut omni eo intervallo *neq; ad obſervandum indicarent jejunia, neq; ad exorandum Deum genibus ſucciderent;* verùm,

verùm, *ſicut Domini paſſione Quadrageſimæ jejuniis contriſtabantur, ita ejus reſurrectione in Quinquageſimæ feriis lætarentur*: docente *Ambroſio* apud Gratianum. In eo itaque eſt hic dies, uti *Lectio* ejusdem *Epiſtolica* inſit, ut *compleatur* ipſe tanquam præcipuus, & antecedentium quaſi inſignis quædam corona.

Utinam ab omnibus Chriſtianis, atque ô utinam à vobismet omnibus, transacta iſthæc Quinquageſima dignis lætitiis celebrata eſſet! Tametſi nullo non tempore nos oportet præſentem Dominum revereri, tamen, quemadmodum ille, poſt reſurrectionem quadraginta dies in terris commoratus eſt, ſic *viſibilem* iſtam præſentiam feſtivâ hilaritate recolebant veteres, eodem anni cujusvis tempore, non aliter, ac ſi eam oculis adhuc uſurparent, præſentemque ſecum ambulare viderent ipſum, quem gratisſimi animi laudibus quotidie efferebant. Quæ contrà multorum inter vos, proh dolor! gaudia fuêre! Vos cæteri deploratis nobiscum meritò, quæ à civibus noſtris indigne ac turpiter geſta ſunt. Usque adeò cumulata eſt petulantia, ut juſto Dei judicio unus è medio veſtrûm ferro

trans-

transfoſſus occubuerit. O nefandum facinus! O tremendum vindictæ divinæ indicium! Permiſſum eſt, Cives! permiſſum divinitus Satanæ, ut cladem horribilem cædemque ederet in iis, qui contemtores verbi ſui & legum, illiusq; tam ſalutaris *Edicti Electoralis de evitandis duellis*, non ſolennibus tantùm, ſed quibuscunque digladiationibus, reperirentur. Dixerint plerique; ſe infauſtæ actioni iſti haud interfuiſſe: at reputent ſecum, quàm crebrò interfuerint ſimilibus peccatis & compotationibus (væ putidum & alienisſimum à Chriſto nomen!) unde in hujusmodi protervitates, in pugnas, in mortem graſſante pede itur. Certè non defuerunt alii ex vobis, qui elapſis diebus vel interdiu auſi fuerint turpisſima quæque committere, in conſpectu honeſtatis publicæ, ſeque exhibere tales in luce, quales noctu fuêre illi, quorum unus cecidit ſuâ culpâ tam miſerabiliter. Si accidere cuivis poteſt, quod cuiquam obtigit æquali in ſtatu; quæ Numinis agnoſcenda clementia, quòd plures, quos *ſpiritualiter* mortuos non poſſumus non dolere, eodem juſtisſimo fato nondum abreptos atq; extinctos lugeamus! quam qui-

quidem non deſiſtemus orare atque obſecrare, ut tollat à nobis tanta piacula, veſtrasque mentes Spiritu Sancto regat ac gubernet.

Vos autem, ô Noſtri, ô *Filii Sapientiæ!* cogitate, quæſumus, hoc die feſto, quàm longè abſit & à Chriſtianiſmi partibus & ab officio veſtro ejusmodi vivendi genus, quod voluptates corporis ſectatur; quæ verè & graviter ab ipſo *Ethnico Platone* dictæ ſunt *illecebræ atque eſcæ malorum*. Digna ſunt verba Libri *Sapientiæ* c. I, 4. 5. quæ ſemper meditemini: *Sapientia non introibit in malitioſam animam, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Spiritus enim diſciplinæ ſanctus quod fictum eſt fugit, & recedit ab inſipientibus cogitationibus.* Chriſtiani eſtis, nec poteritis ſapientiam ſequi absq; Spiritu S. niſi umbram pro corpore, tenebras pro luce captabitis: nec verò Spiritûs ſanctisſimi eritis participes, niſi effugeritis omnem intemperantiam. Eſtote memores fœderis veſtri *Baptiſmalis!* Ante ſponſionis formulam, quâ obligati eſtis Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto, interrogabamini; num renunciaretis Diabolo, cunctisque ejus operibus, & vanitati ipſius unicuique? Atque id ſan-

ctè ſtipulantes, ſic admittebamini demum ad Deum amplectendum. Hinc *Salvianus*, Presbyter ille & Epiſcopus Masſilienſis, *de Providentia & Judicio Dei* lib. VI. optimè obſervat, non poſſe credi in Deum, nec gratiam illius impetrari, niſi deſerantur, quæ diaboli fuerint: deſeri verò ipſum Deum, ſi quis credentium revertatur ad cupiditates hujus mundi, tanquam Satanæ inſtrumenta. Vos autem hodiè iutuemini juxta & imitamini diſcipulos Domini Veſtri Jeſu Chriſti, qui quomodo expectabant Spiritûs Sancti dona? Commendat hoc nomine Scriptura eorum preces ac conſpirationem innocentisſimam, fundatam in pace, quæ ſingulis cum Deo firmata erat ex Evangelio. At enim ſi pacem naturalem animis afferat *temperantia*, & eos quaſi concordiâ quâdam placet ac leniat, ut præclarè inquit *Cicero de Finibus*: quam conſtantem requiret continentiam pax *ſpiritualis*, absque quâ orandi ſtudium nihil eſt, præterquam æs reſonans tinniensque cymbalum! Propterea Paulus Eph. V,18. opponit, quæ unà conſiſtere nequeant: *Ne inebriamini vino, in quo luxus eſt, ſed implemini Spiritu!* Opponuntur

tur, inquam: inebriari potu, & Spiritu S. impleri. Hic efficit *loquentes pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus, canentes ac pſallentes Domino in corde ſuo, gratiasque agentes ſemper de omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri:* quæ ſigna ſunt animorum divinâ tranquillitate fruentium. At verò in uſu vini aliorumque rerum immodico atque intempeſtivo eſt *luxus*, notante Apoſtolo, ἀσωτία, turpitudo ordinis ac veræ quietis expers, Spiritûs Sancti gratiam nullo modo admittens. Si qui fuerint, qui religionis ſenſum perdiderint miſerrimè (quæ eſt ſeculi hujus deploranda lues) meminerint ipſos Gentiles, naturæ lumine convictos, agnoviſſe *nullam capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis, quâ dominante, maximas virtutes jacere neceſſe ſit.* Ecquid ergò ſupererit excuſationis in die illo, quo Deus juſtiſſimus vitæ rationem exiget? Ignorantia excuſabit neminem, contra quam rudes Scripturarum Pagani etiam clamitabunt: nec pravitatis innatæ mentio liberabit conſcientiam, ſiquidem vel ſola hujus diei memoria, quam celebramus, docere quemvis poteſt, quòd Chriſtus, quæ merito ſuo acquiſivit, dona Spiritûs

Sancti ad ſanctimoniam neceſſaria, ut promiſit quoque, largiri omninò velit petentibus.

Nihil eſt rerum undiquaque omnium, cujus tantopere indigeatis, Chariſſimi! Miſſi huc eſtis, ut reportetis intelligentiam, ſapientiam, prudentiam. Spiritum Sanctum ſi adoratis ducem, ſi cogitationibus & verbis & factis ſequimini, via ad opes tantas facillima eſt. Adverſus eum militat nefaria omnis generis libido, quæ omnes mortalium ſtatus pervertere, immò evertere conatur. Contra hanc, Cives! tanquam publicum Eccleſiæ & Reipublicæ hoſtem, vos militiam profitemini, quærentes hîc arma & tela, quibus mater vitiorum peſtilentisſima extirpari ac profligari queat. Quid cogitari posſit ab officio veſtro alienius, quàm amare voluptates illas, tam honeſto & ſancto inſtituto infenſisſimas? Has ſanè qui ſeqvuntur, inſtrumenta fiunt, quibuscum in Eccleſiam & provincias & urbes pernicioſisſima quæque invehuntur. Cujusmodi homines in quanta mala ſempiterna ipſi cum aliis ruant, væ illud horrendum Matth. XVIII,6. monſtrat, pronunciatum à Chriſtò adverſus

eos

eos, qui offendiculum præſtiterint vel uni credentium. Unusquisque exploret ſemetipſum his diebus, quibus beneficia Spiritus Sancti publicè & explanantur & offeruntur. Imparati accingantur adhuc verâ pœnitentiâ & fide, conſiderantes illud *Chryſoſtomi* Hom. de Philogon: *Annon abſurdum eſt, tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente feſto multis antè diebus veſtem è ſcriniis depromtam diligenter appares, emas calceamenta, menſa largior ſplendidiorque paretur, denique variam undiquaque copiam excogites, omnibusque modis temetipſum ornes, nitidumque reddas: anima verò neglecta, ſordentis, ſqualidæ, fame contabeſcentis nullum habere reſpectum, cùm ſola maneat impura: ac corpus quidem nitidum huc adducere, animam verò nudam incultamque? atqui corpus quidem videt conſervus, neque quicquam eſt detrimenti, quomodocunque fuerit habitum: illam autem videt Dominus, qui graviſſimè punit negligentiam.* Nos verò optamus, ut veſtra omnium & ſingulorum corda Spiritui Sancto obtemperent, ipſiusque lumine in omnem veritatem, virtutem & ſalutem perducantur. P.P. Fer. I. Pentecoſt. A. M DC XCV.

Programma XI.

De
CHRISTI ÆTERNA DEITATE,
Nomine Almæ Fridericianæ.

NAtalitia Domini Nostri JESU CHRISTI, Regis Regum, & Domini Dominorum, ſacroſancta illa ſunt, quorum ſolennes ferias habemus. Dies equidem natales celebrati ab omnibus gentibus fuêre ſemper, imperantibus præſertim ſacri. Animadvertente *Daniele Heinſio in Exercitationibus Sacris* ad Matth. XIV, 6. ubi *Herodis* natalitia, cæde *Johannis Baptiſtæ* madefacta, narrantur; non tantùm à nativitate propriè dictâ feſtivas hujusmodi luces appellârunt, verùm etiam, cùm de regibus ſermo eſt, ipſum diem Regni, quo quisque ſcilicet rex creatus, quaſi eo die natus fuerit; à quo & computabantur anni, ut tot annos nati ſalutarentur Principes, quot regnârant: quemadmodum 1. Sam. XIII, 1. *filius unius anni, Saul* dicitur, quippe qui annum, nec ampliùs, vitam in regno ſuo egiſſet. Similiter *Ambroſius* natalem obſervavit Sacerdotii ſui, quod quotannis

quaſi

quaſi de integro videretur incipere. At verò CHRISTI natalitia, quæ & noſtra ſunt ipſorum, quotquot in Chriſto exiſtimus, incomparabilia omni modo agnoſcantur neceſſe eſt.

Quis unquam mortalium de ſe gloriari auſit, quòd eodem die & *Homo* & *Rex* & *Sacerdos* ſit natus? Tria iſta certè nativitati JESU noſtri ſplendorem proprium affundunt; immò & nobis proprium, proptereà quòd talis ipſe datus eſt peccatoribus, ut Homo homines redimeret, faceretque æterno ſuo merito ejure & reges & ſacerdotes. Et verò quicunque baptizati ſumus in eum, hoc quidem pacto Chriſtum induimus. Ex quo intelligimus facilè, quâ feſtivitate in dictis, quâ in factis facilitate, ſolennia hæc tam ſancta religioſè debeamus proſequi. *Herodes* quod putavit fore gaudium, id extitit exitium: quàm igitur longè ſimilia gaudendi genera ab incunabulis *Domini noſtri* abeſſe oportebit! Hic ſanè, hic Homo humanas ſordes à ſui cultu vult alieniſſimas: quia enim tolerare non poteſt, en! tollit peccata mundi atq; aufert. *Myrrham* debemus illi, quâ tanquam cœleſtis pœnitentiæ ſigno hilari-

tatem condiamus,ut lætitia intra nos vera in Domino enaſcatur. Rex *auro* venerandus eſt,ſed Chriſtianæ fidei,ſed digno, cui nulla neque infidelitatis, neque turpitudinis inuratur nota. Quid denique Sacerdoti offeremus tanto? *ſolis ſit thurea virga Sabæis.* Haud poſcit nos eam noſter,qui thus precum ac lacrymarum pro nobis Altisſimo Patri perſolvit, nec ipſe non adorandus eodem modo.

Hoc verò unum ante omnia ſanctisſimam, auguſtisſimam, religioſisſimamque eſſe jubet nati Christi memoriam, quòd, quem diximus verè hominem ex carne & tempore, quo iſthæc prima lux tandem prodiit in lucem; is ſacerdos atque rex non humanus modò ſit, verùm divinus planè, ipſe nimirum Deus ex alterâ naturâ, quâ communi cum Patre & Spiritu S. gaudet ab æterno. Quæ quidem veritas, ſi divinitus contriti ac grati animi plenâ admiratione cultorem Domini affecerit, fundamentum unicè affert ſolidum, ex quo perſentiſcere licet, fructum gaudii hujus natalitii nativum percipi. Tota omninò ſalus fundatur in eo, quòd Puerulum hunc eſſe agnoſcamus Deum infinitùm. Non ita

ita demum ſtatuit *Nicæna Synodus*, ſed ante ipſam vel Ethnici teſtantur ſuis conviciis, *Deitatem Crucifixi*, ab Eccleſiâ creditam, *offenſionis* ſibi ſe *lapidem* feciſſe. Sic docet B. *Lactantius* Inſtitut. l. IV. c. XXX. ante ætatem certè laudati Concilii. Quærenti verò ex Gentilibus obviam fit *Plinius Junior*, lib. X. Epiſt. XCVII. ineunte ſeculo ſecundo ad *Trajanum* Aug. ſcribens, quòd Chriſtiani *eſſent ſoliti ſtato die* (Dominico) *ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere invicem.* Quid autem dubii relinquit *Celſus*, Epicureus ſub *Hadriano* Philoſophus, qui teſtimonium præbet apud *Origenem*, crediſſe tunc Chriſtianos, Jeſum noſtrum eſſe Deum immortalem, omniſcium, immutabilem; eundemq; è cœlo in terram deſcendiſſe, ut peccato inquinatis mortalibus ferret ſuppetias? Accedat *Apoſtata Julianus*, qui, libro IV. *Cyrilli* contra ipſum edito, ex *Johanne* ceu perſpicuum aſſumit, quòd cœlum terramq; condiderit JESUS. Atque ob hanc publicam Chriſti Dei profesſionem tot calumnias â Paganis perferebant Veteres, & in perſecutionibus ei maledicere (βλασφημεῖν) jubebantur.

Poſteaquam deinceps Satanæ inſidiis

factum, ut æternam Christi Jesu divinitatem in dubium malitioſe traheret, *caput horum & cauſa malorum, Arius;* etſi juſtisſimo divini judicii permiſſu accidit, ut hæreſis unà cum *Vandalorum* immani violentiâ longe lateque vagaretur, omni tamen atrocitate major emerſit veritas, ipſis miraculis media tormenta inter & & vulnera exultans. Chriſtum Deum profesſis linguæ evellebantur funditus: ecce autem! efficiente glorioſisſimo *Infante* noſtro, & Spiritu S. præſtante, ſine linguâ pergentes illi, ex irritâ privatione, tanquam invicto documento, ab invitis victoriam reportabant. *Marcellinus Comes* in *Chronico*, ut de multis hoc tradit, ita notat præter cætera: *Rex Hunericus unius Catholici adoleſcentis, vitam à nativitate ſuâ ſine ſermone ducentis, linguam præcepit abſcindi, idemq; mutus, quod ſine humano auditu Chriſto credens fide didicerat, mox præciſâ ſibi linguâ locutus eſt, gloriamq; Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit.* Legant Hiſtoriarum amantes *Victorem Uticenſem*, de *Perſecutione Vandalicâ* lib. III. cujus ab ore pendentes & hoc audiunt: *Siquis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis, Subdiaconum Reparatum,*

ſermones

ſermones politos ſine ullâ offenſione loquentem. Ob quam cauſam venerabilis nimis in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipuè Regina mirâ eum reverentiâ veneratur. Adeant Medicinæ & Philoſophiæ dediti *Æneam Gazæum*, Philoſophum Platonicum Chriſtianum (in dialogo de animarum immortalitate ac reſurrectione corporum, *Theophraſto* dicto) affirmantemq;, quòd datum iis à Deo fuerit, *absq; linguâ articutiùs, quàm unquam anteà loqui*, ſequantur, mox ſubjungentem: *Ipſe ego hos viros vidi, & loquentes audivi; & vocem adeò articulatam admiratus, inſtrumentum vocis inquirebā: & auribus non fidens, judicium oculis conceſſi; & ore aperto, linguam radicitus avulſam vidi: & ſtupefactus mirabar, non ſanè, quo pacto vocem conformarent, ſed quomodo ſervati eſſent.* Teſtimonium habent Imperatorium periti Juris, Cod. Lib. I. Tit. XXII. *de Officio Præfecti Prætorio Africæ;* cujus *Edicti* pium hoc initium eſt: *Quas gratias, aut quas laudes Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre.* Verba autem huc pertinentia, interjectis paucis de Vandalorum crudelitate, ſunt iſta: *Vidimus venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis pœnas ſuas miſerabiliter*

ter loquebantur. Quibus *Gothofredi* notæ adjiciunt, ex *Procopio* lib. de Bello Vandalico, duos illorum, cum ſe ſcortis miſcuiſſent, loqui deſiiſſe. Utrumque Theologiæ cultores à *Gregorio* M. (in dialogo III. c. XXIII. accipiunt, qui, miſſus ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, locutus cum ſeniore Epiſcopo eſt, teſtante ex viſu proprio, quod *apertis oribus clamarint: Ecce, videte, quia linguas non habemus, & loquimur! quorum illic unus in luxuriam lapſus, mox privatus ſit dono miraculi, recto videlicet omnipotentis Dei judicio: ut, qui carnis continentiam ſervare neglexerat, ſine linguâ carneâ non haberet verba veritatis.*

Cæterũ, tantis quod monumentis divina omnipotentia confirmavit, licet in Scripturis quoq; evidentisſimè firmatum meminerimus, gratias tamen Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto immortales habere decet, qui etiam ab hoſtibus, nefario ſtupore oppresſis, Deitatem ſuam vindicârit, teſtatumq; reliquerit ſimul, Spiritum S. gratiâ ſuâ non habitare in corporibus peccato ſervientibus. Talia his diebus ſanctè meditamini, *Cives Academiæ!* & vos ut dignos geratis nato & mactato pro vobis Agno Dei, Rege veſtro & Sacerdote, gratiæ & veritatis pleno, etiam atque etiam videte. Juxta Pſalm. II, 11, 12, 13. *Servite Domino in timore, & exultate cum tremore. Oſculemini Filium, ne iraſcatur, & pereatis à viâ. Brevi exardeſcet furor ejus, beati omnes qui ſperant in eum!* P.P. Fer. Nativit. D. D. N. J. C. A. M DC XCV.

PRO-

PROGRAMMA XII.

DE INCARNATIONIS FRUCTIBUS,

NOM. UNIVERS. FRIDERICIANÆ.

IMMANU-EL!

NOn ſemper tonitrua molitur, nec quotidie fulgura emittit, aut fulmina jaculatur Majeſtas Numinis: admirandam ſe etiam præbet in iis, quæ tantis cœli molitionibus efficiuntur in tellure, ut agri irrigari imbribus, fœcundasq; fruges largiri posſint, atque eis hominum vita conſervetur. Neque his quidem beneficiis Deus ſe teſtimonii expertem eſſe paſſus eſt, *dans nobis cœlitùs pluvias ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitiâ corda noſtra:* quibus verbis Lyſtrenſem turbam inſanientem compeſcuerunt Apoſtoli, ut miſeros à nefando ſacrificio avocarent ad verum Deum recognoſcendum. Act. XIV, 17. Sic in *Naturæ*, ſic in *Gratiæ* regno obvenit. Hîc enim quantum in mortalium mentes ſe inſinuavit, ac fidei invicto robore immerſit penitus miraculum, poſtquam Deus patefactus in carne eſt! cui ut nullum vel

vel perſcrutando ingenium, vel lingua explicando ſufficit, ita non minùs proprii ſunt fructus, quos tantum myſterium generi humano affert, admiratione pariter dignisſimos. Atque in his eloquendis cùm ipſum Dei verbum difficultatem reliquerit minorem, ſint iſti nobis ſcalæ Jacobeæ inſtar, quibus & deſcenſum Altisſimi ad nos plenum miſerationis excipiamus, & aſcendere magis magisque conemur ad divina faſtigia, ope ſolius Spiritûs S. agnoſcenda.

Unum verò eſt, idemq; in unione ſitum, quòd omnia ſtupendæ *Incarnationis* beneficia comprehendit. Sub exitum ex hâc vitâ id declaravit Chriſtus, Deum rogitans, ut, cùm pro fidelibus ſanctum ſemet tradiderit, hi omnes quoque unum ſint, veluti ipſe cum Patre, & quidem in utroq; unum. Joh. XVII, 19. 21. Quo effato ſignificat Dominus, indolem divinam prorſus gaudere unitate, ad quam homines ut tanquam creaturarum primitiæ redigantur, cum Deo reduniendi, atque inter ſe in Deo, hoc opus, hunc laborem officii ſibi commisſi proprium eſſe. Decretum illud ab æterno, in tempore adimpleri aliter haud poterat, quàm ſi tam ſalu-

ſalutaris negotii fundamentum FiliusDei intra ſe admittens ſuſtineret, naturamq́; aſſumens humanam cum æternâ ſuâ uniret arctisſimè. Ita enim is factus ipsâ re & nomine *Immanuel*, quod eſt, Deus nobiſcum, Homo-Deus; Eſ. VII, 14. factus ſemen illud unicum, in quo benedicendæ erant omnes Gentes; Gal. III, 16. factus à Deo nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio, ut, qui gloriatur, in hoc Domino glorietur. 1. Cor. I, 30. Nam qui non habet Filium, neque Patrem habet, ad quem nemo venit, niſi per ipſum Dominum. 1. Joh. II, 32. hic enim eſt via ad Deum, eſt veritas, veram Dei imaginem ex ſe inſtaurans, eſt vita, reſtituens nobis immortalitatem unione & communione cum Deo Patre ſuo. Joh. XIV, 6. Eſt quippe novus & ſecundus *Adamus*, in Veteris locum ſuffectus, noſtrûm omnium perſonam gerens, atque in ſe ita complectens ac repræſentans, ut in ipſo reduniri cum uno Bono posſimus. Neque alia datur integra libertatis ratio, quàm ut homo reddatur rectus, ab innumeris & cogitationibus, & terroribus, & cupiditatibus, & coactionibus, & auctoritatibus, & necesſitatibus, traducendus ad ſimplicisſimam

ſimam tranquillitatem in Chriſto & ſolo Deo. Eccl. VII,29. 2.Cor.XI,3.

At verò cùm haud uniusmodi eſſet miſeria, quâ liberandi eramus ad tantam beatitatem poſtliminiò capeſſendam, exoritur hinc etiam *Nativitatis* divinæ fructus varius & quaſi multiformis. Malum quidem omne vel in uno peccati nomine continetur, utpote quo primævâ immunitate funditus privati ſumus: ſed quoniam gratia Dei tam penitus inſita intimis *Protoplaſtorum* medullis fuerat, non poterat non perfectæ illius lucis privatio, Dei ipſius ſedem evertens, tenebrarum infinitas latebras inferre ac poſt ſe relinquere. Hinc tanta corruptio, ut nulla hominis pars aut facultas diræ labis ſit expers, nec uno modo *incarnatio*, cum ſecutis Chriſti vulneribus, prodeſſe ac mederi noſtris debeat. Naſci voluit Dei filius caro, ut noſtrâ in carne ex ſpiritu ejus denuò naſceretur ſpiritus, & ipſâ *regeneratione* ad naturam divinam homo reformaretur. Joh.III,6. Tam arctè neceſſe erat, cum finitâ creaturâ jungi immenſam majeſtatem, ut una *perſona* Deus & homo eſſet, quæ & pateretur pro alienis malis mala, & pro amisſis bonis ſua communica-

nicaret bona. Itaque in hujus quoque incunabulis, atq; in ulnis Simeonis, ſpes ſalutis affulgebat credentibus, quòd viderent eum, qui adoraretur à viris divinis, & ſalus Domini prædicaretur, neque idcircò peccatum habere proprium poſſet, carne tamen & ſanguine veſtitum non alio, quàm qui cætera geſtaret communia nobiſcum. Luc. II, 28. Nam communione calamitatum noſtrarum initâ absque crimine, via prima redemtionis in paſsionibus ſita erat; quam cùm ille, infinito cum merito ſuo, perferret pro nobis, ipſe promiſſum mulieris ſemen ſerpentis conculcavit caput, ac ſubjiciens ſe legi transgresſiones noſtras expiavit, paupertate luxuriam, tot doloribus voluptatem, atq; horrendâ morte defectionem omnium univerſam. Gen. III, 15. Gal. IV, 4.

Tanta verò eſt mortalium perverſitas, tantus depravationis torpor, ut miſeri talia audientes, perſuadere ſibi ſoleant, quòd ea omnia ad ſe non pertineant modò (pertinent enim jure ſuo ad unumquemque) ſed accipi etiam à quovis in ſolatium posſint, licet intra ſuum animum mutationem in melius efficacem nullam experiantur. Ex quo abundè conſtare

poteſt, quantopere in mentibus implicata inſideat caligo,ut ne intelligant quidem, quod res ipſa loquitur; juſtitiam Chriſti aliis nullis attribui, niſi divinam ejus indolem qui adſciſcant, ad quam iterum communicandam & carnis moleſtias ſubierit, & è medio ſublatis culpæ ac pœnæ impedimentis, aditum patefecerit, eò unicè deſtinatum. Quò commendatiore curâ ipſum illud reputandum eſt,cujus causâ Dei filius in generis humani ſocietatem venit, omnesque illius plagas ſuſcipiens ſignificavit ſatis, ſe minimè ſic pati, ut mali perſeveremus, ſed ut carne ſuâ ruptâ profluat in nos ſanguis, qui in foro divino deleat peccata illorum, quorum in pectoribus virtutem ſpiritus ſui exſerere, lucemq; & imaginem Dei inſtaurare haud prohibeatur. Unum enim horum absque altero dari, Diabolicæ fraudis commentum eſt maximum juxtà & nocentisſimum. Quamobrem illi demum unionis naturarum in Chriſto virtutem verè admirantur, qui ſentiunt,eam unà ſemper operari in cœlo atque in terra; quemadmodum & hymnus Angelorum habet: Luc. II, 14. *Gloria in altisſimis Deo, & in terrâ pax, in homini-*

minibus benevolentia, hoc eſt, quâ homines & Deum ipſis in Chriſto optimè velle, & ſuam inter ſe charitatem mutuam à Deo præcipi ac foveri perſentiſcant. Quæ ſanè verba non aliter rectè intelliguntur, quàm ſi fundamentum eorum agnoſcas *Verbum* illud æternum, quatenus caro factum eſt, Joh. l, 14. ſanguine ſuo redemtionem efficiens ejusmodi, ut ex redemtis qui crediderint, & in cœlo reconciliatum ſibi eſſe Patrem, atque in tellure & corpore ſuo templum Dei renovari nôrint, magis magisque tot inter rerum diſcrimina extruendum ac adornandum; ſimiles Judæorum, ex captivitate Babylonicâ properantium ad ædificandam Ædem Hieroſolymitanam.

Atque ita quidem in duobus illis fructibus, quos *Juſtificationem & Sanctificationem* Scripturæ & Scholæ uſu appellamus, tanquam in primariis complexus omnium latet; quos tamen quàm varii & antecedant & conſequantur, non ignorandum eſt. Patefacta ad utrumq; via tot obedientiæ Chriſti generibus, nónne tota ex primo conceptionis momento proficiſcitur? Quicquid per vitam Domini in his terris actum & toleratum eſt noſtrûm

bono, à quo nec ulla ætatis particula unquam potuit vacare, ex naſcendi ſorte originem ducit.

Tantæ molis erat, Chriſtianam condere gentem, quæ ex hoſtium potentiſſimorum faucibus eripienda, & erepta ad unionem cum Deo ſanctiſſimo, atque ad defenſionem ſui reſtituenda fuit idonea. Ecquis digne aſſequetur ſatis, quæ ſit illa & *latitudo*, & *longitudo*, & *profunditas*, & *ſublimitas*? Eph. III, 18. Quam late extendit ſe iſthoc Filii adventu Dei charitas, ut, qui olim procul fuerant, propinqui facti ejus ſanguine, ſublatoq; intergerini ſepto parietis, orbis terrarum univerſus vocatus ſit cum Iſraele ad fundandum regnum ſempiternum, in quo concives ſanctorum & domeſtici Dei exiſtant undiquaque! Eph. II, 14. 19. Quæ longitudo, quod iſta Nativitas retrò etiam in quadraginta ſecula dotes ſuas cœleſtes ſpargat, partuq; uno nullis non mortalibus conſulat infinitam in longitudinem! Quis verò abyſſum tantæ profunditatis inveſtigabit, quando ipſe Filius Altisſimi in terram ſic deſcendit, ut humanam aſſumeret carnem, idemque factus homo etiam, id eſt, ſecundum humanitatem in *hypoſtaſi* divinâ ſubſiſtentem,

tem, filius Dei eſſet *naturalis* ac proprius; Rom. IIX, 32. atque ita quidem formam ſervorum abjectiſſimam gerens, omne moleſtiarum genus ac mortem ſubierit ignominioſiſſimam? Tantopere dilexit Deus mundum, hoc pacto filium ſuum mittens unigenitum, qui nobis acquireret jus filiorum atque hæredum Dei! Joh. III, 16. I, 12. Rom. IIX, 17. Quæ denique ſublimitas, cùm natura noſtra non relicta in ſepulchro ſit, verùm evecta ad dextram majeſtatis divinæ; ubi interpellat pro nobis, qui natus ex Mariâ eſt, tandem & gloriæ ſuæ conſortes facturus omnes, rediturum ipſum qui exſpectârint fideliter! Nam pro efficacitate, quâ *Filius hominis* & ſubjicere ſibi omnia poteſt, eum mox fructum maturum proferet, ut corpora ſuorum, hic viliſſimis incluſa compagibus, ipſius ſplendori ſiſtantur conformia; Phil. III, 21. eâ conditione venturus, ut glorioſus in ſanctis ſuis, & admirabilis in omnibus fide pollentibus conſpiciatur, poſtremoque unus omnia in omnibus ſit Deus. 2. Theſſ. I, 10. 1. Cor. XV, 28. Hic autem intereà quoque Filii ſui membra fidelia agnoſcit templa ſua, in quibus habitat & inambulat, intimè cum ipſis, ut

populo ſuo, per eundem unitus. 2. Cor. VI,18.

Talia, *ô Cives Academici!* in Feſto hoc Natalitio meditantes, audite *Apoſtolum*, nobis omnibus acclamantem cum *Corinthiis:* ib. VII, 1. *Has igitur promiſſiones cùm habeamus, dilecti, purgemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritûs, ad finem perducentes ſanctificationem in timore Dei!* nec non cum *Hebræis* II, 13. *Quomodo effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Audite etiam *Patres*, imò ſpectate hos atque imitamini in ſcalâ *Exinanitionis* Chriſti deſcendentes & aſcendentes! Sic enim *Cyprianus* Serm. de Eleemoſ. *Chriſtus hominis Filius eſſe voluit, ut nos Dei filios faceret: humiliavit ſe, ut populum, qui priùs jacebat, erigeret: vulneratus eſt, ut vulnera noſtra ſanaret: ſervivit, ut ad libertatem ſervientes extraheret: mori ſuſtinuit, ut moriens immortalitatem mortalibus exhiberet.* Et *Chryſoſtomus* in 1. Tim. II. *Hæc prima cauſa eſt, quia ſciri voluit, quantum amaret hominem, Deus, qui plus amari voluit, quàm timeri. Litavit igitur ſeipſum pro inimicis, pro his, qui ſe oderant, pro averſis à ſe. Id quod neq; pro amicis, neq; pro fratribus, neq; pro filiis faceret quispiam, hoc fecit pro ſervis Dominus, pro hominibus Deus, pro mortalibus immortalis, pro tempo-*

temporalibus ſempiternus, pro inimicis deniq; Dei filius. Secunda cauſa eſt, ut ſententiam mortis, quam juſtè dederat, juſtiùs aboleret. Neque huc non pertinet gravis illa admonitio *Auguſtini* lib. de Virg. *Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis; caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint, cogitate: hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis, fixus in cruce.* Ita è Domini præſepio in crucem, è cruce in cœlum mentes veſtras attollite, ut unumquemque totum occupet Deus in J[illegible]u Chriſto! nam *qui agglutinatur Domino, unus cum eo ſpiritus eſt.* 1. Cor. VI, 17. P. P. in Academ. Electorali Fridericianâ Fer. Nativ. Dom. A. MDCXCVI.

FINIS.

PROGRAMMATUM ARGUMENTA.

Prog. I. De Studii Theologici neceſſariis tribus adminiculis.
II. De Laudibus B. Illuſtris Seckendorfii.
III. De Studii Dogmatici Neceſſitate.
IV. De Exercitationibus Docimaſticis.
V. De Exercitationum Diſputatoriarum utilitate atq; abuſu.
VI. De Ratione diſputandi Chriſtianorum propria.
VII. De Laudibus B. Joh. Arndii.
IIX. De Partibus Studii Homiletici.
IX. De Paſchatis Antiquitatibus.
X. De Feſtivitate Pentecoſtali.
XI. De Chriſti æternâ Deitate.
XII. De incarnationis fructibus.

❀(o)❀

99 951492 Q


La Spezia
LABORATORIO
SANT AGOSTINO
vico S.Giovanni 4